UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Universitätsbibliothek Paderborn**

# Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ; Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctiss. Primae Partis Opera Historica, Quotquot hactenus reperiri potuerunt, omnia

**Trithemius, Johannes**

**Francofvrti, 1601**

IIII. Chronicon succeßionis Ducum Bauariæ & Comitum Palatinorum: ad Philippum Palatinum Comitem, Principem Electorem.

**urn:nbn:de:0128-1-17297**

Visual Library

# IOANNIS TRITHEMII ABBATIS CHRONICON SVCCESSIONIS DVCVM BAVARIÆ ET COMITVM PALATINORVM: AD PHILIPPVM PALATINVM COMItem, Principem, Electorem.

BAVARIA (vt quidam dicunt ſcriptores) nomen & originem à quodam Duce Boiaro, quem ante bellum Troianum cum ingenti populo ex Armenia in hanc regionem ferunt aduenisse, expulſis habitatoribus admodum rudibus, & qui beſtiarum more glandibus veſcerentur, terram commiſit optimam bobus excolendam.

*Boioarus.*

BOIOARVS Dux Bauariæ primus, à quo gens & regio nomẽ obtinuit, multis in Bauaria annis regnauit, & poſt eum filij eius vſque ad excidium Troianum: quorum nomina & res geſtas propter nimiam antiquitatem ignoramus.

*Norix.*

NORIX, Rex Bauariæ, fortiſſimi Herculis filius, à quo Bauaria deinceps Norica dicta, eſt, inſignem ciuitatem ſuper Danubiũ conſtruxit, quæ hodie Ratiſpona nuncupatur, quã Tyberius Cæſar longo poſt tempore Tyberinam appellauit. Huic Duci Norico, multi per temporum interualla Duces in Bauaria ſucceſſerunt vſque ad Tyberium Cæſarem: quorum nomina & res geſtas in obliuionem duxit vetuſtas.

*Boamundus. Ingramus.*

BOAMVNDVS dux Bauariæ, Princeps nobilis, à Tyberio Cæſare pulſus de Armenia, venit in Bauariam cum Ingramo viro æque nobili, ibique multis annis in Bauaros regnauit.

*Adelgerus.*

ADELGERVS Dux Bauariæ, vir fortis & ſtrenuus, poſt Boamundum & Ingramũ, Bauaris imperat annis multis.

*Theodo.*

THEODO Rex Bauariæ, poſt Adelgerum ſupra dictum ducem ſuper Bauaros regnauit, cuius geſta paſſim habentur diſperſa.

*Gerobaldus. al. Garibaldus.*

GEROBALDVS Rex Bauariæ, tempore Mauritij Imperatoris, fuit vir Chriſtianiſſimus, qui inter alios liberos habuit filiam deuotiſſimam nomine Theodelindam, quam dedit vxorem Othario Regi Longobardorum, per quam multa bona in Dei Eccleſia facta ſunt. Ad hanc ſanctam reginam beatus Papa Gregorius quatuor libros Dialogorum & multas Epiſtolas perſcripſit, anno Domini DC.

*Gondoaldus.*

GONDOALDVS Rex Bauariæ, filius ſupradicti Gerobaldi, & frater Theodolindæ Reginæ, poſt patrem in Bauaria regnat, tempore Childeberti Regis Francorum, habens ſub ſe Bauariam & Auſtriam atque prouinciam Noricam.

Mortuo Rege Longobardorum Othario, Agilulfus in regem poſt eum fuit electus, qui relictam eius Theodolindem duxit in vxorem; quam beatus Gregorius rogauit per epiſtolam, vt virum ſuum induceret ad pacem Romanorum ſuſcipiendam quod & fecit.

Rex Francorum Childebertus, bellum habens cum Longobardis, Gondoaldum fratrem Reginæ de Bauaria expulit, propterea quod auxilia ferret Longobardis, eiuſque ducatum Taſſiloni filio Othilonis regis Bauariæ dedit. Lata enim exiſtens Bauaria, aliquando pluribus erat ſubiecta principibus.

*Othilo.*

OTHILO Rex Bauariæ, & poſtea dux, pater Taſſilonis fuit, habuit vxorem Hiltrudem ſororem Pippini regis, patris videlicet Caroli magni, ex qua genuit ipſum Taſſilonem.

*Taſſilo.*

TASSILO dux Bauariæ, filius Othilonis regis expulſo Gondoaldo conſanguineo ſuo per Childebertum, ducatum eius ab ipſo Childeberto rege Francorum ſuſcepit: vxorem habuit Luitburgem filiam Deſiderij vltimi regis Longobardorum, quæ peperit ei Theodonem filium, quem ſanctus Rupertus Epiſcopus Wormacienſis Ratiſponæ baptizauit, Anno domini DCXII. Hic genuit Theobertum filium.

*Paul. Diac. 4. cap. 2.*

Taſſilo dux Sclauos deuicit, conſtruxit monaſterium Laurisham, & alia multa: Othilo vero pater ei⁹, inter alia etiam fundauit monaſterium inferius Altaha, ordinis ſancti Benedicti in Bauaria, quod adhuc hodie exſtat.

Deſiderio rege Lōgobardorum per Carolum magnum deuicto, & in captiuitatem acto, filia eius Luitburgis vxor Taſſilonis, virum ſuum indefeſſis precibus & lachrymis

co tan-

eo tandem perduxit, vt confœderatis ſibi Hunnis in vindictam patris, Carolum magnum nepotem ſuum bello aggrederetur.

Adrianus Papa, miſsis legatis ad Taſsilonē ducem Bauariæ, monuit eũ vt ſe Carolo ſubiiceret, qui precib. legatorum perſuaſus, venit Wormaciam ad imperatorem, legatis ſe comitantibus, ibique in fidem Caroli iurauit, ſed non permanſit in fide. Vnde ab Adriano Papa fuit cum omnibus ſibi adhærentibus excommunicatus.

Carolus à Roma poſt coronationem ſuam reuerſus Wormatiam, Taſsilonem ex principũ conſilio ad terminum vocauit, obedientiam & fidelitatem ab eo exigit, ſed Taſsilo nec ad conuentum principum venit, nec Imperatori voluit obedire.

Commotus Imperator, Bauariam ac Taſsilonem bello aggreſſus, trib⁹ cinxit exercitibus: Ipſe cum vno exercitu caſtra poſuit iuxta Auguſtam, & inter Bauariam & Alemaniam, in loco qui dicitur Leche. Pipinus filius eius aduenit cum Italis in valle Tridentina, & Saxones cum Francis ad Danubium venientes, Bauariam triplici agmine circumdederunt. Tandem dux Taſsilio videns ſe imparem tantis exercitibus, veniam petit, eamque impetrat dato filio ſuo Theodone cum aliis duodecim pro obſidibus in manus Imperatoris.

Carolus Paſcha in Ingelheym celebrat, ibi iubet adeſſe ducem Taſsilonem, qui cum veniſſet, grauiter à Bauaris & aliis fuit de infidelitate regi exhibita accuſatus. Vnde cũ iudicio principum capitalem deberet ſubire ſententiam, indulgentia regis cuius conſanguineus erat, ad pœnitentiam cũ Theodone filio in monaſterium Laurisham detruſus, multa poſtea ſanctitate vixit.

Hic Taſsilo plurima monaſteria in Bauaria fundauit, videlicet Welſenbron, Tremmunſter, Laurishã, Weltenburg, & Pfaffenmunſter. Muros ciuitatis Pataüienſis renouauit, & ſedem Epiſcopalem tunc tranſtulit ex Lauriaco.

Sunt qui dicunt eum à Carolo Imperatore magno in carcere excœcatum, obiectu continuo duarum laminum ignitarum. Quomodocunque id ſit, conſtat eum in Monaſterio ſuo Laurisham, quod antea in Stratamontenſi non longe à Wormacia conſtruxerat, magnis ſumptibus, vitam ſub regula diui Benedicti finiſſe, & ibidem nõ ſine opinione ſanctitatis ſepultum ferunt.

Taſsilone à ducatu depoſito, & Monaſterium ingreſſo, Imperator ducatum Bauariæ, Geroldo comiti commiſit, qui ab Hunnis (qui ſunt Vngari) interfectus eſt, Anno domini, MCCXCIX. vt patet in Chronica Colonienſi.

*Ogarius, Albertus.*

Eo tempore, quo ſanctus Bonifacius Moguntinam regebat eccleſiam, Occarius & Albertus fratres & clariſſimi duces Noricorum, viri fortes, nobiles ac deuotiſſimi, amore videndi Romam adierunt. Quibus Zacharias Papa narrabat calamitatem quam ab infidelibus patiebatur: vnde moti Chriſtianiſſimi duces zelo fidei vna cum Romanis ſe armis præcingunt, hoſtes fortiter inuadunt, ſpolia diripiunt, & eos exire finibus eccleſiæ compellunt: Spolia vero Romanis dimittunt, quoniam non pro bonis corporalibus, ſed pro Dei honore ſe veniſſe & pugnaſſe teſtabantur. Quibus Papa inter multas reliquias, quas dedit, etiam corpus ſancti Quirini conceſſit. Hi duo ſanctiſſimi duces in Norica prouincia multa fundarunt templa.

*Naynus.*

NAYNVS dux Bauariæ, tempore Caroli Imperatoris magni multa contra infideles fortiter geſſit: à quibus tandem interfectus eſt, vir omnino zelo Chriſtianæ fidei excellentiſſimus, vide cætera quæ geſſit in XXV. libro Vincentii capitulo XXI. Speculi.

*Lanfridus. Walramus Hellandus.*

Eodem ferme tempore Lanfridus, Walramus, & Hellandus principes Bauariæ chriſtianiſſimi, multa bona eccleſiæ Dei exhibuerunt, pugnantes bella Domini cum magno feruore pietatis. Conſtruxerunt inter alia quatuor monaſteria, videlicet Burtochlarum, Schlechdorff, Scheplarum.

Sciendum eſt, quod pater ſupradictorum duorum fratrum, ducum Noricorum Alberti & Occarii fuit Burgundus, cuius vxor, mater eorundem fuit Bauara. E quibus Occarius morabatur in Burgundia in principatu paterno; Albertus vero iunior annis XII. comitatus habebat in Bauaria. Hi duo apud Pippinum regẽ patrem Caroli magni, duo & prudentiſſimi & ſanctiſſimi principes, in magno habebantur honore.

*KAROLI Magni imperatoris origo.*

Ducum Bauariæ originem cupientes deſcribere, certo comperimus, eos duces qui hodie Bauariam regunt ex ſtirpe Caroli magni deſcendiſſe, quod ita declarando exordimur. Sanctus Arnulphus maior, dominus Francorum, poſtea Metenſis Epiſcopus, genuit Anchiſẽ, Anchiſes genuit Pippinum cognomẽto Craſſum; Pippinus genuit Carolũ Martellum, Gernoldum & Diogenẽ. Porro Carolus Martellus genuit Pippinum regẽ, patrem

Caroli magni, Carolomannum & Grifonem ducem Bauariæ, ex Schuanahilde vxore, quæ fuit filia ducis Bauariæ.

*Griffo.*

GRIFFO iſte Bauariam ingreſſus, ducatum ſibi iure hæreditario vēdicare cupiens, Taſſilonem ducem eiecit: Sed Pippinus rex, frater, ducatum Taſſiloni reſtituit, & Griffonem in Franciā duxit, dans ei duodecim ciuitates more Comitū. Qui minime contentus, multa in fratres bella cōmouit: vnde parum fortunatus quinto poſt anno interficitur.

Expulſo itaque Griffone de Bauaria per Pippinum fratrem, Taſſilo ducatum obtinuit, quem tandem Carolus magnus filius Pippini (vt dictum eſt) depoſuit, & prouinciā comitibus ſiue præfectis commiſit.

*LVDOVICVS Pius Imperator. Welffo comes Bauar.*

PIPPINVS itaque frater Griffonis genuit Carolum magnum. Qui poſt deditionē Taſſilonis ducis, Bauariam aliquanto tempore non per duces, ſed per Comites fecit gubernari. Carolus autem genuit Ludouicum cognomento Pium, qui ei ſucceſſit in Imperio, cuius ſecunda vxor fuit Iudith filia Welff comitis Bauariæ: vnde & ducem eum ſeu regem Bauariæ, exactis comitibus conſtituit. Genuit & Carolum, quem regem Alemaniæ conſtituit, & Pippinum, quem fecit regem Aquitaniæ & Hiſpaniæ. Carolo magno Imperatore mortuo, & Aquisgrani ſepulto, Ludouicus dux Bauariæ filius eius ſucceſſit.

LVDOVICVS cognomento Pius, filius Caroli magni, & poſt eum Romanus Imperator, habuit vxorem nomine Margaretham, ex qua tres filios ſuſcepit: Lotharium, Pippinum, & Ludouicum. Quorum primum Lotharium Bauariæ præfecit, qui etiam poſt eū Imperator fuit. Mortua vxore Margaretha, aliam duxit nomine Iudith, filiā Welff comitis Bauariæ, quæ habuit filiū Carolum caluum poſtea Imperatorem, cui dedit Alemaniā, Rhætiam, & partem Burgundiæ, Anno 833. habuit filiam nomine Petronellam.

LVDOVICVS PIVS Imperator, poſt multa egregie facta obijt, Metis ſepultus, cui Lotharius filius eius rex Bauariæ ſucceſſit, contra quem fratres eius grauiſſimum apud Altiſſiodorum bellum mouerūt, in quo multa millia hominum cecidiſſe antiquitas teſtatur.

*LOTHARIVS Imperator.*

LOTHARIVS iſte Imperator, vxorem habuit Egillam filiam regis Angliæ, quæ peperit ei duos filios, Lotharium, & Ludouicum, qui ei in imperio ſucceſſit. Ab hoc Lothario Lotharingiam appellatam eſſe ferunt

*Ludouicus.*

LVDOVICVS, filius Ludouici Pij Imperatoris, ſublimato in imperium Lothario fratre ſuo, ipſe regnum Bauariæ & Alemaniæ obtinuit, qui habuit tres filios: Carolum poſtea huius nominis tertium Imperatorem, Ludouicum regem Francorum, Carolomannum vltimum regem Bauariæ.

Carolomanno rege Bauariæ mortuo, & in Eringem ſepulto, frater eius Ludouicus rex Francorum Orientalium, ſibi Bauariam ſubiugat, Arnolpho fratris filio dedit ducatum Carinthiæ & Moſsburgum. Et ſic ceſſauerunt reges in Bauaria.

LVDOVICVS frater Carolomanni, rex Francorum Orientalium, habito bello cū Nordmannis, Francofordiæ ad Mœnum moritur, & in Monaſterio Lauriſſam ſepelitur, & Arnulphus ad ducatum Bauariæ redijt.

Anno Domini DCCCLVI. Lotharius Imperator imperium deſeruit, cū iam imperaſſet annis XV. & aſſumpto peregrino habitu Monachus factus eſt in Monaſterio Prumienſi, ordinis ſancti Benedicti. Cui Ludouicus filius in Imperio ſucceſſit annis XXI.

*LVDOVICVS II. Imperator.*

LVDOVICVS huius nominis ſecūdus, filius Lotharij Imperatoris, patri in imperio ſuccedens imperauit annis XXI. Cuius pater Lotharius ante imperiū rex Bauariæ fuit, quemadmodū paulo ante docuimus. Vxor huius Ludouici imperatoris fuit Theodeberga filia Caroli calui patrui ſui, quæ peperit ei vnū filium Carolū nomine, & filiam vnam nomine Gillam, quam dedit Boſoni cuidam nobili, & fecit eum ducem Burgundiæ. Poſtea dimiſit imperium filio ſuo Carolo caluo, & monaſterium ingreſſus obijt.

*CAROLVS II. Imperator.*

CAROLVS CALVVS filius Ludouici Pij Imperatoris, & Iudith filia Vulpi comitis Bauariæ poſt Ludouicū nepotē ſuum imperauit annis ferme quatuor, vxorē habuit Adeldrudē ſororem BOſONIS ducis BVRGVNDIÆ, quæ peperit ei filium vnum Ludouicum nomine & duas filias Theobergam, quam dedit Ludouico regi nepoti ſuo vxorem, & Iudith vxorem BALDEVINI comitis Flandriæ. Iſte Carolus multa Monaſteria conſtruxit.

*CAROLVS III. Imperator.*

CAROLO CALVO Imperatore mortuo, Carolus huius nominis tertius, frater Carolomanni regis BAVARIÆ & patruus Arnolphi, poſt Imperatorē in imperio ſucceſſit annis duodecim, vxorē habuit Adelburgam filiā regis Granatæ. Hic tandem horribili viſione inferni territus, multos cognatorum ſuorū ob malā adminiſtrationem populi regnique, pœnis grauiſſimis torqueri iuſſit, imperioq; dimiſſo, peregre profectus eſſe dicitur. Hic nō reliquit heredem, & cognomen eius erat Carolus graſſus.

CAROLO TERTIO ab imperio depoſito, Arnulphus dux Bauariæ filius Carolomanni vltimi regis Bauariæ omnium conſenſu Imperator factus, imperauit annis XII. vir potens, diues & fortunatus, qui multa in republica egregie patrauit. Vxorem habuit Agnetam filiam Imperatoris Græcorum, de qua ſuſcepit duos filios, Arnoldum, & Bernherum. Arnoldus duxit vxorem Agnetam filiam regis Vngariæ; & frater eius Bernherus ſororem ipſius Agnetis æque filiam regis Vngariæ, nomine Beatricem in vxorem duxit. Hæ duę ſorores filiæ regis Vngariæ baptizatæ fuerũt in Caſtro, quod ARNOLPHVS Imperator cõſtruxit in Bauaria fortiſſimum, nomine Scheyern. Arnoldus ducatum Noricorum obtinuit, & frater eius Bernherus ſortitus eſt comitatum Scheyern, & comitatum Palatini Rheni. Ipſe Arnoldus filiam ſuam nomine Adelheidam vxorẽ dedit Otthoni duci Saxoniæ, quæ peperit filium nomine Henricum, quẽ Arnoldus ducem Bauariæ fecit, contra voluntatẽ Bernheri ſui comitis Scheyern. Et ſic ducatus Bauariæ venit aliquanto tempore ad Saxones; ſed poſtea iterum reſtitutus eſt Bauaris.

*ARNVLPHVS Imperator.*

*Arnoldus, Wernherus.*

AGNETA imperatrice, matre prædictorũ Arnoldi & Bernheri mortua, Arnolphus aliã duxit vxorem Lucardem filiam Vulpi ducis Bauariæ, ex qua ſuſcepit duos filios: Ludouicum qui ei ſucceſſit in imperio, & Conradum patrem Conradi Imperatoris primi, qui factus eſt dux Lottharingiæ, & filiam vnam nomine Lucardam, quam dux Saxonũ duxit in vxorem. Habuit etiam filium ex concubina, nomine Rindebaldum quem pater poſtea fecit regem Lottharingiæ, anno Domini DCCCXCVI.

ARNOLDVS itaq; filius Arnolphi Imperatoris dux Noricorũ, filiam ſuã Adelheidem vxorem dedit Otthoni duci Saxonum, quæ peperit Henricum ducem ſupradictum, Adelheidam filiam, quæ poſtea facta eſt Abbatiſſa in Quindlingburg, virgo ſanctæ conuerſationis.

BERNHARDVS frater eius, comes in Scheyern, genuit ex Beatrice vxore ſua filia regis Vngariæ Otthonem Witelsbach, comitem Palatinum Rheni, & Echardũ poſt eum comitẽ Scheyrẽſem in Bauaria. Echardꝰ genuit Arnoldũ, Otthonẽ & Conradũ. Porro Arnoldꝰ genuit Conradũ dictũ Monachũ de Scheyren, & iſte Arnoldus fuit Dominꝰ in Dachauia, Ottho frater eius in Scheyern, & Conradus in Valey. Ex his tribꝰ fratribꝰ Echardi comitis, multi comites & principes de Scheyern exorſi ſunt, ita vt quodam tempore in curia quadam Vulpi duci Bauariæ in Torneamento fuerint triginta quatuor comites, de Scheyren omnes oriundi, quamuis non omnes ibi moram agerent, vnuſquiſque enim in ſuo dominio conſtitutus erat, & ſic caſtrum Scheyren deſolatum incolis, antiquitate tandem ruinoſum, in Monaſterium mutatum fuit, anno Domini MCXXIIII. vt poſtea dicemus. Sed omnes iſti XXXIIII. intra annos tres poſtea obierunt, præter duos Arnoldum de Dachauia & Otthonem de Scheyren, qui Arnoldus Dominus Dachauiæ genuit Conradum, Conradus genuit Arnoldum & Conradum, Arnoldus genuit Conradum ducem Ruthenorum, qui iuxta Mediolanum fuit occiſus, & in Scheyren ſepultus.

*Eckardus.*

*Schyrenſes Comites.*

ARNOLPHVS Imperator potens, & egregius Chriſtianæ fidei defenſor, Normannos atroci bello ſuperauit, innumerabiles eorũ occidit, eoſq; de Chriſtianorũ finibus, poſteaquam annis quadraginta Alemaniam vexauerant, eiecit. Sigifridum regem Normanorum, & Gotfridum regem Danorum, eodem bello interfecit. Reuerſus ex Gallia de cæde Normannorum Imperator in Bauariam, corpus beati Dionyſij Areopagitæ ſecum tulit, quod in Monaſterio ſancti Hemerani martyris Ratiſponam locauit, vbi adhuc hodie honorifice ſeruatur.

CONRADVS ex Lucarda ſecunda vxore Arnolphi Imperatoris, dux Lotharingiæ, genuit duos filios, Eberhardum qui occiſus fuit, & Conradum poſtea Romanorum Imperatorẽ, cui ſe Arnoldus frater patris ſui ſupradictus oppoſuit, ſicut ſuo tempore poſtea latius dicemus.

ARNOLPHVS Imperator poſt captã Romam, Nortmannos deuictos, & alia multa glorioſe facta, obijt. Sunt qui ſcribunt eum à pediculis conſumptum, quos ex nimis frequenti allij commeſtione creſcentes, nemo aliqua potuerit induſtria arcere.

LVDOVICVS filius Arnolphi Bauarus fuit Imperator. Arnolpho Imperatore mortuo, Ludouicus filius eius huius nominis tertius in imperio ſucceſſit, natus ex Lucarda filia Vulpi ducis Bauariæ, & ſic vtroque parente Bauarus fuit, frater Arnoldi ducis Noricorũ & Bernheri comitis de Scheyren. Vxorem habuit Lucardem filiam Ludolphi ducis Saxoniæ, ſororem Otthonis, & ſine liberis deceſſit.

*LVDOVICVS III. Imperator.*

Bauari cum Vngaris pugnant & vincuntur, quibus Bauariam & Franconiam atro-

citer impugnantibus, iterum ſe Bauari ad pugnam accingunt, exercituq; Imperatoris Ludouici concurrente, multos ex Vngaris interficiunt, cæteros in fugam conuertunt. Conradus dux Lotharingiæ frater Ludouici Imperatoris huius, & filius Arnolphi, genere Bauarus, dolo Adelberti marchionis Bambergenſis interfectus eſt.

LVDOVICVS tertius, Imperator Romanorũ, ex patre Bauaro Imperatore ARNOLPHO, ſine literis moritur, anno Domini, DCCCC. XIII. poſt quem Conradus filius fratris ſui eligitur.

*CONRADVS Imperator.*

CONRADVS Imperator, natus ex patre Bauaro duce, Ludouico Imperatore filio Arnolphi mortuo, Conradus filius fratris ſui Conradi ducis Lotharingiæ, quem Adelbertus Marchio Bambergenſis interfecerat, ex linea Caroli magni, vltimus in imperio factus eſt Imperator. Non habuit vxorem Eberhardus, de quo poſtea dicemus.

*Vide Luitprandum lib. 2. cap. 7.*

ARNOLDVS dux Bauariæ, frater Conradi, pater huius Conradi regis Romanorum, filius videlicet Arnolphi Imperatoris, oppoſuit ſe huic Imperatori Conrado, à quo tandem victus, cum vxore & liberis fugit in Vngariam, vſque ad mortem ipſius Conradi.

CONRADVS rex, expulſo de Bauaria duce Arnoldo, Henricum ducem Saxonum pari modo expugnare cogitauit, obſedit itaque Mersburg. Ibi ex parte regis ceciderunt Euerhardus frater eius, & Hatto Archiepiſcopus Moguntinus, & ipſe vix euaſit. Inde Henricus dux Saxonum omnem terram regis deuaſtauit.

Conradus rex moriturus, coronam regni miſit Henrico ſupra dicto duci Saxonũ, qui poſt eum regnauit, & obijt in Francia Orientali, apud Herbipolim ſepultus.

ARNOLDVS dux Bauariæ, audita morte Conradi regis, ex Vngaria in Bauariam reuertitur, & ab omnibus honore magno ſuſceptus eſt, rogantibus cunctis, vt regnum Romanorum dignaretur ſuſcipere. Poſt mortem Conradi, cum Henricus dux Saxonum in regno ſuccederet, eique omnes principes præter Arnoldum præfatum Bauariæ ducem obedirẽt, congregato exercitu ſuo Henricus contra eum proceſſit in bellum, & obſedit Ratiſponã. Et dux Arnoldus videns ſe tanti multitudini non poſſe reſiſtere, portas aperuit, gratiam petijt, & impetrauit. Pax itaque inter eos firmiſſima ſub his conditionibus cõponitur: vt rex duci Arnoldo, plenum feudum ſiue dominium in omnes Epiſcopatus in Bauaria conferat, ducatum ſuum pacifice poſſidendum ſibi dimittat, eumq; inter amicos præcipuum habeat, & ita factum. Itaque Henricus in regno permanſit, quo mortuo, Ottho primus filius eius ſucceſſit, poſt quem Ottho ſecundus primi, deinde Ottho tertius filius ſecundi qui mortuus eſt ſine liberis. Et Henricus dux Bauariæ per electionem principum in Imperio ſucceſſit, ſicuti ſuo loco poſtea dicemus.

*HENRICVS Imperator.*

*OTHO Imperator.*

Sub Otthone Imperatore primo, bellum grauiſſimum fuit inter Chriſtianos & Vngaros. Eo tempore adhuc infideles apud Auguſtam erant, vbi ipſe Imperator cum Chriſtianis triumphauit. Ibi ceciderunt Conradus dux Bauariæ, Theobaldus comes frater ſancti Vlrici Epiſcopi Auguſtenſis.

BERNHERVS comes de Scheyern filius Arnolphi Imperatoris, & frater Arnoldi ducis Bauariæ, de quo ſupra dictum eſt, qui fuit pater Ecchardi & alterius Bernheri comitum, Vngaros contra Imperatorem eduxit, à quibus magna clade accepta, tanquam totius mali occaſio interfectus eſt.

Cauſa belli fuit iuſta: comes Bernherus ducatum Bauariæ vt legitimus hæres poſtulabat, cui fratris filij (quorum vnus Imperator) contradicebant. Vnde commotus, Vngaros pro ferendo auxilio inuocauit.

Bernhero comite de Scheyern ab Vngaris occiſo, Ecchardus & Bernherus filij eius in locum patris ſuccedentes, ducatum Bauariæ poſtulabant, quem Ecchardus tandem obtinuit.

ARNOLDVS dux Noricorum moritur, relinquens inter alios liberos Rudolphũ ducem poſt eum, & filiam nomine Lucardam, quam Henricus dux Saxoniæ poſtea etiam Bauariæ, filius Henrici Imperatoris primi, & frater Otthonis primi, duxit in vxorem, vt poſtea dicemus.

RVDOLPHVS dux Bauariæ, filius Arnoldi ducis Noricorum, mortuo patre, ducatum eius obtinuit, vxorem habuit Rixam filiam Henrici Imperatoris primi, ſororem Otthonis primi; quæ peperit ei tres filios, Conradum qui fuit ſine liberis interfectus; Vdonem qui & ipſe obijt ſine liberis; & Vulpi ſiue Welff comitem de Scheyern.

*RVDOLPHVS.*

RVDOLPHVS dux Bauariæ poſt mortem Henrici regis primi, Otthoni filio eius Imperatori rebellat, vnde ex duce Bauariæ factus eſt comes in Scheyern.

HENRICVS Saxo dux Bauariæ, filius Henrici Imperatoris primi, & frater Otthonis primi, &

mi, &

mi, redacto in comitem Rudolpho duce Bauariæ, ipſe ducatum Bauariæ ſuſcepit. Et ſic ducatus Bauariæ manſit apud Saxones vſque ad Henricum imperatorem tertium, ſub quo deficiente ſtirpe huius Henrici, ducatus ad nepotes Rudolphi ſupradicti comitis reuerſus eſt, vt ſuo loco dicemus. Vxorem habuit Henricus iſte dux, Lucardem filiam Arnoldi ducis Bauariæ, ſororem ſupradicti comitis Rudolphi, quæ peperit ei duos filios, Brunonem Marchionem Saxoniæ, & Henricum poſt eum ducē Bauariæ, ac filiam vnam nomine Gerburgem Abbatiſſam in Gandersheym.

*Et quod duces omnes Bauariæ modernos à ſtirpe Caroli Magni diximus deſcendiſſe, oportet nos ſeriem generationis à Rudolpho comite & duce continuare, quiq; duces Saxonum ſint per aliquot annos interpoſiti, quouſq; ad nepotes ipſius Rudolphi ducatus Bauariæ reuertatur, vt dictorum veritas omnibus clarius luceſcat.*

Rudolphus ex duce comes Bauariæ, vna cum fratribus ſuis ducem Henricum ſororis ſuæ maritum tanquam paternæ hæreditatis inuaſorem perſequitur, Ratiſponam obſedit & cepit, vxorem Henrici cum filijs eiecit. Nota quod Arnoldo Bauariæ duce mortuo, Ottho Imperator primus Bertholpho fratri eius commiſerat, quo etiam mortuo, Henricum fratrem ſuum ducem conſtituit, vt dictum eſt.

Vulpi comes Bauariæ, filius Rudolphi comitis ſupradicti, vxorem habuit Adelheidam filiam comitis inferioris Baden, quæ peperit ei filiū nomine Conradum, cuius filius Vulpi, ducatum Bauariæ iterum obtinuit, ſicut poſtea dicemus.

*Henricus.* HENRICVS dux Bauariæ, filius ſupradicti ducis Henrici Saxonis, fratris primi Otthonis patris, in ducatu Bauariæ ſuccedens, habuit vxorem Bertham filiam ducis Lotharingiæ, quæ peperit ei tres filios, & duas filias, Henricos duos, quorum ſenior poſtea Imperator fuit, Brunonem Epiſcopum Auguſtenſem, Giſelam vxorem ſancti Stephani regis Vngariæ, quę ad Chriſti fidem conuerſa eſt, & Hetvvigem quam Lotharius Burggrauius Medeburgenſis duxit vxorem.

*Conradus.* CONRADVS comes Bauariæ, filius ſupradicti comitis Vulpi, habuit vxorem nomine Atzam filiam Marchionis de monte Calym, quæ peperit ei tres filios, Vulpi, qui ducatum Bauariæ ab Imperatore iterum obtinuit, Burchardum Epiſcopum Haluerſtatenſem, & Simonem Archiepiſcopum Bremenſem.

*S. HENRICVS Imper.* HENRICVS Imperator dux Bauariæ, filius Henrici ſupradicti ducis Bauariæ, mortuo ſine liberis Otthone tertio, electione principum factus eſt Imperator Romanorum; vir ſtrenuus, deuotus atque ſanctiſſimus, qui multa bona in Republica fecit. Habuit vxorem Cunegundam filiam Sigifridi comitis Palatini Rheni, moribus & vita ſanctiſſimam, & ambo vſque ad mortem in ſanctitate* per Chriſti amorem permanſerunt, ambo etiam catalogo Sanctorum inſerti ſunt.

** ſ. Virginitate.*

Nota, comitatus Bauariæ fuerunt iſto tempore plures, videlicet Trubenſis, Valaiēſis, Dachauienſis, Andechs, Witelsbach, Vochburgenſis, Pogenſis, Caſtalenſis, Amertalēſis, & Scheyrenſis. Multi per ſucceſſum fuerunt in his locis comites, quos omnes per nomina recenſere nimis foret prolixum & difficile.

*Trube. Valey.* Comitibus de Trube & Valey tandem omnibus mortuis, comitatus eorum ad comites Dachauienſes peruenerunt, quorum XVIII. ſibi inuicem ſucceſſerunt in comitatu, quilibet vno ſolo poſt ſe relicto filio, qui omnes Conradi vocabantur. Vltimo autem comite Dochauię mortuo, tres illi comitatus ad comites de Scheyren ſunt deuoluti. *Dachauia.* Comites Palatini de Witelsbach pauci erant, quibus tandem etiam deficientibus, comitatus in Witelsbach etiam ad Scheyren eſt deuolutus. *Witelsbach.*

*Babenberg. epiſcopatus.* HENRICVS Imperator ex duce Bauariæ, inter multa quæ fecit bona, Epiſcopatum Bambergenſem inſtituit, monaſterium montis monachorum ordinis ſancti Benedicti extra ciuitatem cōſtruxit; ſancta Cunegunde, vxore caſtiſſima, ſibi de ſuo patrimonio opem in omnibus hilariter ferente.

Henricus Imperator Dagonem Cancellarium ſuum virū doctum & ſanctum, Archiepiſcopum Magdeburgenſem conſtituit. Anno Domini MIIII.

Anno Domini MV. Henricus Imperator Bauarus intrauit Italiam, qui in obſidione cuiuſdam Caſtelli captus fuit, ſed adiuuante Domino liberatus, per murum ſe dimittens euaſit, & cum exercitu ad patrem remeat.

Cum regio Bauariæ ſit latiſſima diuerſis ducibus atque comitibus diuerſis temporibus, aliquando vni, aliquando duobus, interdum etiam pluribus fuit per interualla temporum ſubiecta.

*Erneſtus.* ERNESTVS dux Bauariæ, à Paludibus Mœotidis veniens in Bauariā, temporibus O-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

thonis primi Imperatoris,Ducatum Noricorum partitum obtinuit. Idem Imperator Otho dedit ei partem nemoris in prouincia Noricorum,in eo videlicet loco, vbi nunc eſt Monaſterium Caſtellenſe ordinis ſancti Benedicti, qui eradicatis ſyluis, habilem aratris terram fecit. Ab hoc duce Erneſto multi Bauariæ domini notabiles deſcenderunt in Norica prouincia,maxime comites de Caſtello & Sultzbach.

*Caſtel.*

*Erneſtus F.*

ERNESTVS iſte dux Noricorum vxorem habuit Adelheydam, filiam ducis Burgundiæ, quæ peperit ei filium nomine Erneſtum,de quo mirabilia narrantur. Mortuo duce Erneſto ſeniore,Otho Imperator primus vxorem eius Adelheydam,matrem iunioris Erneſti, ſibi matrimonio copulauit,quæ peperit ei Othonem ſecundum Imperatorem, & Mechtilden filiam,quæ Abbatiſſa in Quendlinburg fuit.

ERNESTVS iunior dux Noricorum,filius ſupradicti ducis Erneſti mortuo patre, miniſterio ſe dedit magiſtrorum,vt ſermonē Latinum,Græcum,& Italicum diſceret, qui poſtea miranda fecit.

HENRICVS comes Palatinus Rheni,amicus Othonis Imperatoris, hunc ducem Erneſtum odio habens, apud Imperatorem vitricum grauiter ſolebat (licet iniuſte) accuſare, quaſi vitæ & imperij ipſius inſidiatorem,quod Erneſtum minime latebat: vnde cum Imperator quadā die in ciuitate Spirenſi cōſilio comitis Henrici,clauſis ianuis ſecreto vteretur,Erneſtus comitante ſe Wetzlo comite in patruo,irrumpens ianuas confregit,Henricū Palatinū in latere Imperatoris ſedētem interfecit,aſſumptaq; deinde cruce,cū Wetzelino patruo & multis alijs, ad terrā ſanctā perrexit. Sed mota in mari tempeſtate,omnes præter ipſum & comitem Wetzelinum,cum alijs paucis,ſubmerſi perierunt. Iſte dux Erneſtus prælia & multa egregia facta,terra marique in multis regionibus longinquis patrauit,quæ habentur in ſcriptis. Reuerſus deinde cum Wetzelino comite in patriam, plures attulit homines diuerſarum nationum & formarum. Imperator autem comperta eius innocentia,ad gratiam ſuam & filium recepit,conſtituens eum dominatorem & principem totius curiæ imperialis.

Anno domini, MVIII. ſanctus Henricus Imperator dux Bauariæ, comitem Flandriæ Baldevvinum ſibi rebellem vicit,ſibique ſubdidit,& Gandauum cepit; Bolislaumque ducem Poloniæ Saxones crebro deprædantem,facta congreſſione ſuperauit,& ad fidē Chriſti cum gente ſua conuertit,habens in exercitu ſanctum Stephanum regem Vngariæ ſororis ſuæ virum.

*S. Stephanus Rex Vngaria.*

Henricus ſanctus Imperator obijt anno domini MXXV. Bambergæ in maiori Eccleſia quam ipſe conſtruxerat ſepultus,cuius geſta in ſcriptis habentur. Conradus dux Franconiæ in imperium ſucceſſit,poſt quem Henricus tertius,& poſt illum quartus Imperator.

*Henricus.*

HENRICVS dux Bauariæ,frater Conradi ducis Sueuiæ,poſt ſanctum Henricum ex duce Imperatorem,Ducatum Bauariæ obtinuit. Hic conſtruxit monaſterium in Oſterhofen, in Pataujenſi diœceſi: regnum Bernhardus & Ecchardus tandem (vt ſupra diximus) obtinuerunt.

*Cuno.*

CVNO,dux Noricorum,filius Ecchardi ducis ſupradicti,Ducatum Bauariæ quem pater obtinuit,poſt mortem eius aſſumpſit. Hic fœdus inijt cum Vngaris, quos in auxilium cōtra Henricum Imperatorem tertium inuocauit,anno Domini MLIIII.

CVNO dux Noricorum,tandem ab Henrico Imperatore de Bauaria pulſus,fugit ad Vngaros. Anno Domini, MLV. ibique quam diu vixit,in exilio permanſit. Imperator fratri ſuo Conrado Ducatum eius donauit,qui paulo poſt obijt.

*Conradus.*

CONRADVS dux Bauariæ,frater Imperatoris Henrici quarti,expulſo Cunone,ducatum eius ab Imperatore ſuſcepit, qui non longe poſtea mortuus eſt, anno videlicet Domini MLVI.

AGNES imperatrix,mater Henrici quarti, poſt mortem Conradi ſupradicti, ducatum Bauariæ à filio ſuſcepit, quem poſt aliquot annos Othoni cuidam nobili de gente Saxonū donauit,de quo poſtea dicemus. Anno Domini MLXI. Agnes imperatrix, mater Henrici Imperatoris quarti,ducatum Bauariæ Othoni comiti de Northeym contulit, & ipſa in Italiam perrexit.

*Otho.*

OTHO dux Bauariæ,genere Saxo,comes in Northeym, ducatum Bauariæ ab imperatrice vt dictum eſt accepit,vir nobilis,ſtrenuus,iuſtus,in Aula regis Henrici potens & acceptiſſimus. Otho dux Bauariæ prædictus,monaſterium prædicti ordinis ſancti Benedicti in Northeym fundauit,donans illi plura prædia,& dona comitatus ſui. Otho iſte dux Bauariæ,cum clarus eſſet in aula regis Henrici,& acquireret ſibi authoritatem publicam, inuidia quorundam impiorum hominum, per quendam ſubordinatum iniuſte accuſatus,

quod

quod in necem regis cōſpiraſſet, primum à curia, deinde etiam à ducatu pulſus, cum principibus Saxoniæ & Thuringię bellum contra Imperatorem gerit, Ducatum Bauariæ Vulpi ſeu Welff obtinuit.

*Welffo.*

VVLPI qui & Welff, dux Bauariæ, filius Conradi comitis Bauariæ, ducatum Bauariæ, quem proaui genitoris ſui ante poſſiderunt, poſt Otthonem ab Imperatore vt legitimus hæres recepit. Nam proauus eius Rudolphus, filius Arnolphi ducis Bauariæ dux fuit, qui rebellans Otthoni Imperatori primo, & victus ab eo, ex duce comes de Scheyern factus fuit, ſicut ſupra dictum eſt.

Reſtituto itaque ducatu Bauariæ ad lineam Arnolphi Imperatoris, ſeriem generationis ducatum ex Carolo Magno deſcendentium inceptam proſequamur. Nec ſum neſcius, quoſdam inter ſcriptores hunc ducem Welff natione Sueuum, nonnullos vero Italum filium cuiuſdam Marchionis fuiſſe auſos contendere. Conſtat autem filium eum fuiſſe Conradi comitis Bauariæ, filij Arnolphi Bauari ducis & Imperatoris Romanorum. Nec refert vbi natus ſit, modo generationis ſeries, Bauariæ ducibus legitimis conſtet deſcendiſſe.

Itaque dux iſte Welff deſponſauit ſibi vxorem Ethelinam filiam ducis Otthonis comitis Northeymenſis ſupradicti: Sed pulſo à ducatu Otthone, filiam ei remiſit, veritus Henricum regem, à quo ducatum acceperat, qui inimicus erat Otthonis, quam Hermannus comes Weſtphaliæ in vxorem accepit. Poſtea duxit in vxorem Iuttam relictam viduam regis Angliæ, quæ peperit ei tres filios, & vnam filiam, Henricum cognomento Nigrum, qui dux Bauariæ poſt eum fuit, Vulpi, qui in Italiam perrexit, Sigebertum, & Adelheydam, quam Conradus Burggrauius Medeburgenſis duxit vxorem.

OTTHO quondam dux Bauariæ & comes in Northeym, contra Imperatorem in Saxonia multa prælia habuit, in quorum vno Erneſtus Marchio Bauariæ, filius Erneſti ducis ſenioris (qui ſæpe victor in Vngaria & diuerſis alijs regionibus extiterat) occubuit, anno Domini MLXXV.

** qui vulgo Schaffnaburgenſis.*

Cætera, quæ Ottho præfatus cum Saxonibus contra Imperatorē fecit, & ab eo paſſus fuit, & quomodo tandem ad gratiam eius receptus eſt, ſcripta copioſiſſime per Lampertum Monachum Hirsfeldenſem * in geſtis ipſius Henrici Imperatoris habentur, quæ nimis tædioſum eſt hic exprimere.

WELFF, dux Bauariæ cognito quod iniuſte Saxones à rege Henrico premerentur, noluit ei contra eoſdem auxiliū præbere, vnde & hoſtis reipublicæ iudicatus, etiam ab eo ducatu priuatus eſt: ſed iterum in gratiam ab Imperatore receptus, non ſolum ducatum recipere meruit, ſed etiam filium ſuum in ducem Bauariæ confirmari. Deinde cruce ſignatus tempore Vrbani Papæ ſecundi, anno Domini MXCVI. ad terram ſanctam profectus eſt, & Cypro mortuus; & ſui pene omnes, cum multis alijs Chriſtianis, inſidijs Alexij Imperatoris Græcorum perempti & capti ſunt.

Iſte dux Welff inter alia quæ fecit, conſtruxit Monaſteria, videlicet Steyngarden, Altorff, Vvingarten, Altenmunſter, & Nietenbach. Quo mortuo, & in monaſterio Arteſheym ſepulto, Henricus cognomento Niger, ei in ducatu Bauariæ ſucceſſit. Sunt qui ſcribunt hunc ducum Welff poſt mortem Iuttæ vxoris ſuæ, matrem Henrici quarti Imperatoris, Agnetam duxiſſe vxorem.

*Otho.*

ECCHARDVS dux Bauariæ, frate Wrernheri de Scheyren, qui pro recuperando patris ducatu Vngaros tertio contra Imperatorem eduxit, de quo ſupra dictum eſt, tempore Vrbani Papæ ſecundi, cum Gotfrido duce Lotharingiæ cruce ſignatus, ad terram ſanctam profectus eſt, & Hieruſalem à Chriſtianis recuperata fuit. Fuit etiam his temporibus Ottho dux Bauariæ in Ammerthal, filius (vt quibuſdam placet) Erneſti, qui in monaſterio Caſtellenſi iacet ſepultus. Hic habuit filiam nomine Sophiam, quam dedit vxorem comiti de Andechs, qui genuit ex ea Bertholdum comitem, patrem videlicet ſancti Otthonis Epiſcopi Bambergenſis, & Fridericum comitem in Ammerthal, qui monaſterio Caſtellenſi multa bona fecit, ibidemque ſepultus eſt.

*Henricus Niger.*

HENRICVS dux Bauariæ cognomento Niger, filius Welff ducis ſupradicti, habuit vxorem Wolffhildem filiam Magni ducis Luneburgenſis: quæ peperit ei duos filios, & quatuor filias, Henricum, Welff, Sophiam, quam dedit Bertholdo duci Thuringiæ, quo occiſo, Marchionem Steyredenſem Lupoldum ſecundū accepit maritum. Secunda filia vocabatur Vvolffhildis, quā dedit Rudolpho comiti Prægnicenſi. Tertiā no-

mine Mechtildem dedit Marchioni Theobaldo iuniori, quo mortuo, dedit eam comiti de Sultzbach. Quartam nomine Iuttam, accepit Fridericus dux Sueuiæ, quæ peperit ei Fridericum Imperatorem primum.

*Welff.*

WELFF dux Bauariæ, filius Welffi ducis, & frater iam dicti Henrici, vir bellicoſiſſimus, ducatum Bauariæ fratri dimittens Italiam petijt, & Mechtildem filiam ducis Mediolanenſis accepit in vxorem, qui ambo ſine liberis deceſſerunt. Hic dux Welffo multa miranda feciſſe perhibetur, Sueuiamque igne, ferro, & cæde vaſtauit.

*Sigebertus.*

SIGEBERTVS comes Bauariæ, frater prædictorum Henrici, & Welffonis, vxorem habuit Odam filiam Gebhardi comitis de Suppelnberg, & Domini in Arnſperg. Qui comes in Bauariæ prouincia manens, fratri ducatum permiſit.

*Henricus Superbus.*

HENRICVS dux Bauariæ, cognomento Superbus, filius ſupradicti ducis Henrici, vir fortis, & audaciſſimus, vxorem habuit Gertrudem filiam Lotharij Imperatoris ſecundi, quæ peperit ei Henricum ducem Saxonum nobiliſſimum, qui propter fortitudinẽ, & res magnifice geſtas dictus LEO, dominium ſuum à Rheno potenter extendit, vſque ad fluuium qui Albis dictus eſt.

*Ducem Brunſvvicenſium & Luneburgẽſium origo.*

Huic Henrico duci Bauariæ, Lotharius Imperator cum filia Saxoniæ ducatum contulit; à quo omnes duces de Brunſchvvig, & Lunenburg deinceps, vſque ad iſtos qui hodie ſunt, per ordinem deſcenderunt, quod ita monſtrabimus facile.

HENRICVS enim dux Bauariæ & Saxoniæ, gener Lotharij, qui genuit ex Gertrude vxore ſua Henricum cognomento Leonem, de quo vulgus miranda refert, quod cum Griffonibus pugnauerit, Leonem abduxerit, de maris periculo, per Griffonem inſutus corio equino portatus fuerit. Et alia quædam multa, quæ nec improbo nec affirmo. Is Henricus genuit ex Mechtilde ſorore Richardi regis Angliæ filium nomine Wilhelmum, qui patri in ducatu ſucceſſit, Otthonem quoque poſtea regem Romanorum, Henricum comitem Palatinum Rheni, & duas filias, Mechtildem & Rixam. Wilhelmus genuit Otthonem ex Helena filia regis Daniæ. Ottho genuit Albertum & Iohannem, qui duo hæreditatem paternam, videlicet ducatum Brunſvvicenſem & Luneburgenſem inter ſe diuiſerunt, fratribus ad alia prouiſis.

Anno autem Domini MCC.XXXVIII. Imperator Fridericus ſecundus Mogunciæ conſtitutus, nomen, & ducatum Saxoniæ ab Otthone ſupradicto tranſtulit in Albertum filium Henrici comitis de Anhalt, quem fecit ducem Saxoniæ, & imperij principem Electorem: Et ſic Ottho filius Wilhelmi ducis manſit dux Brunſvvicenſis & Luneburgenſis. Continuantur autem duces ipſi ex linea Henrici Bauari conſequenter, vſque ad iſtos qui hodie viuunt, incluſiue; quos recenſere per ſingulos, nimis tędioſum eſſet. Sufficit enim, vt certiſſime conſtet, omnes duces Brunſvvicenſes, à tempore Lotharij ſecundi, vſque ad iſtos deſcendiſſe ex Bauaris.

## TRANSLATIO DVCATVS BAVARIÆ AD MARCHIONEM AVSTRIÆ.

LOTHARIO Imperatore mortuo, anno Domini M.XXXVII. cum Henricus dux Bauariæ cognomento Superbus gener eius, vir potentiſſimus, imperium affectare videretur, veriti potentiam eius principes, apud Confluentiam conuenientes, Conradum ducem Sueuiæ in regem Romanorum elegerunt. Cui cum ſe dux Henricus Bauariæ vna cum Saxonibus opponeret, tanquam non rite electo, Conradus conuentum principum in diem Pentecoſtes ad Bambergam indixit, ad quam diem ipſum ducem Henricum citauit. Qua cauſa omnes, cum vna cum imperatrice relicta Lotharij conueniſſent, & in gratiam Conradi fuiſſent recepti, ſolus ipſe non comparuit, habebat autem penes ſe inſignia imperij; Coronam videlicet Caroli magni, ſceptrum, pomum, lanceam Domini, & reliquas, quæ modo apud Nurnbergenſes conſeruantur. Quæ cum rex Conradus ab eo ſæpius, vt imperij vaſa, poſtulaſſet, obtinere non potuit. Tandem in die Petri & Pauli Apoſtolorũ ad manus regis Conradi hæc omnia reſignauit in Ratiſpona: Sed gratiam eius non obtinuit.

*CONRADVS Salicus Imperator.*

*Regalia.*

In diebus illis, Innocentius Papa ſecundus, regem Conradum nec coronare voluit, nec Italiæ introitum permittere, propter Siciliæ regnum, quod vterque ad ſuam poteſtatem pertinere dicebat, & ab ipſo Papa Rogerio cuidam in fęudum iam datum fuerat, quod Conradus recuperare parabat.

Itaque Papa Henricum ducem Bauariæ, & Welff fratrem eius precibus & precio cõduxit, vt regi Conrado introitum Italiæ potenti manu prohiberẽt. Rogerius quoq; inua-

ſor Siciliæ, adiuuante ſe Papa, maximum contra regem Conradum exercitum ex Italia, Gallia, & Sicilia comparauit. Rex itaque Conradus cum duce Sueuorum Frederico iturus in Italiam, contra Papam & Rogerium, ducem Bauariæ Welffonem cum magno Bauarorum & aliorum exercitu contrarium offendit. Henricus autem dux, frater Welffonis, præ ſenio domi remanſerat. Factum eſt itaque inter eos grauiſſimum bellum in diœceſi Auguſtenſi, iuxta quoddam ordinis ſancti Benedicti monaſterium, quod Nereſheym dicitur. Ibi Fredericus dux Sueuorum ex parte regis victoriam obtinuit, & multi ex parte Welffonis cæſi corruerunt, & ipſe cum paucis vix euaſit.

Iterum dux Welffo congregato magno exercitu, contra Fredericum ducē bellum habuit, prope Winſperg, circa villam Ellenhoffen Herbipolenſis diœceſis, in quo & ipſe cecidit, & maior pars exercitus ſui proſtrata fuit.

Henricus ergo dux Bauariæ cognomento Superbus, principum iudicio excommunicatus, & à ducatu Bauariæ per Conradum regem depoſitus, pauper & pedeſter de Bauaria cum vxore, & liberis venit in Saxoniam, & ibi manſit vſque ad mortem. Ducatum eius Lupoldus Marchio Auſtriæ à Conrado rege accepit.

LVPOLDVS Marchio dux Bauariæ, iſte Lupoldus Marchio Auſtriæ, ducatum Noricorum poſt Henricum ducem depoſitum à rege Conrado ſuſcepit. Hic fuit filius Lupoldi ſenioris Marchionis, ex Agnete filia Henrici Imperatoris quarti, quę ante Lupoldum habuerat Fredericum ducem Sueuorum. Mortuo non longe poſt iſto Lupoldo duce, rex ducatum Henrico fratri eius contulit. *Lupoldus.*

HENRICVS Marchio dux Bauariæ, frater Lupoldi fuit: Huic poſt mortem fratris, Conradus rex relictam viduam Henrici ducis Bauariæ, quem depoſuerat, filiam Lotharij Imperatoris Gertrudem dedit vxorem, & conſtituit eum Bauarię ducem. *Henricus.*

Otho Epiſcopus Bambergenſis, filius comitis Bertholdi, audax vir, ſanctiſſimęque conuerſationis his temporibus clarus habebatur.

## RESTITVTIO DVCATVS BAVARIÆ AD LEGITIMOS HÆREDES.

CONRADO rege Romanorum mortuo, Fredericus huius nominis primus, filius Conradi ducis ſucceſſit. Hic anno Domini M. C. L V I. circa feſtum natiuitatis beatæ Mariæ ſemper virginis, Henrico duci Saxonię filio Henrici ſuperioris Superbi, quondam ducis Bauariæ, ducatum rogantibus principibus reſtituit, amoto Henrico fratre Lupoldi Marchionis Auſtriæ: Facta ſunt hęc Ratiſponę, anno vt ſupra.

Eodem tempore Fredericus Imperator, Marchiam Auſtriæ in ducatum ſublimauit, primum ducem in Auſtria conſtituens Henricum ſupradictum, fratrem Lupoldi, quem à ducatu Bauariæ amouerat, abſoluens eum ab omni Iuriſdictione ducis Bauariæ, dansque nonnullos comitatus Auſtriæ Henrico duci Bauariæ in recompenſam, & exemptionem. Nam antehac Marchiones Auſtriæ, quotiescunque per duces Bauariæ ad curiam eorum fuiſſent vocati, tanquam ſubiecti illis ſolebant occurrere; quemadmodum comites, & alij nobiles adhuc tenentur obedire. Idem Imperator Fridericus primus, ducatum Bohemiæ erexit in regnum.

Henricus dux Bauariæ & Saxoniæ, filius Henrici Superbi, in paternam hæreditatem vtriuſque ducatus reſtitutus, ſumma ſolicitudine curabat, populum ſibi ſubiectum iuſte & ſecundum leges in omni pace, & tranquillitate regere & gubernare. Quicunque leges ab eo æditas violaſſet, capite plectebatur. Vnde pace per totam Bauariam cum iuſtitia cunctis facta, dux Henricus in ore omniū laudem & honorem ſuper omnes principes illius temporis habebat.

## TRANSLATIO DVCATVS BAVARIÆ AD COMITES DE SCHEYEREN.

CVM Imperator Fredericus expeditionem paraſſet in Italiam, Henricum Bauarię & Saxoniæ ducem iam dictum in auxilium vocauit. Itaque Henricus cum magno exercitu Italiam Imperatori laturus auxilium ingreſſus, ipſum Fredericum obuiū habuit, dicentem, *ſibi tantam armatorum multitudinem non eſſe neceſſariam*, rogabatq; ducem, vt cum ſuis remearet in patriam.

Vnus autem officialium ducis inde commotus dixit ad eum: *Illuſtriſſime Princeps, coronam poſuiſtis ad pedes, ne caput veſtrum poſſit aſcendere.* Quod verbum in tantum diſplicuit Imperatori, vt ducem omnibus diebus vitæ ſuæ haberet exoſum, atque à ducatu

tandem Bauariæ depoſuerit, conferens cum Otthoni comiti de Scheyeren, qui fuit de genere Carolorum.

*Otto Scheyrenſis.*

** Error eſt. In Germanico Andrea Ratiſpo. eſt: auß dem chun Carolorum. (id eſt, ex genere Carolorum, vt in Latino habetur) quo viſo, & hic deceptus eſt Auctor.*

OTTHO dux Bauariæ. Iſte Ottho fuit comes in Scheyeren, de ſtirpe magni ducis Cunonis,* de quo ſupra dictum eſt, ex linea Caroli magni Imperatoris. Huic Fredericus Imperator ducatum Bauariæ, vt legitimo & proximo hæredi, abrogato Henrico contulit, à quo omnes duces Bauariæ, & comites Palatini Rheni, qui hodie ſunt, deſcenderunt, ſicut in ſequentibus per ordinem dicemus.

Anno itaque Domini M. C. LXXX. Ottho comes præfatus de Scheyeren factus eſt dux Bauariæ, vir fortis, iuſtus, & in Chriſtiana religione clariſſimus: vxorem habuit deuotiſſimam nomine Agnetam, de qua genuit Ludouicum ſucceſſorem in ducatu Bauariæ, & Elizabeth, ante Reginam Ieroſolymitanorum.

*Scheyren monaſterium.*

Anno Domini M. C. XXIIII. Ottho comes de Scheyeren, poſtea dux, caſtrum Scheyeren monaſterium fecit in honorem beatæ Mariæ ſemper virginis. Multi fuerunt eo tempore comites in Bauaria, Titulum habentes de Scheyeren, ſed nullus eorum in ipſo caſtro morabatur. Quod cum antiquitate nimia pene corruiſſet, Ottho ſæpè dictus, & Agnes vxor eius conuocarunt omnes participes loci, videlicet Conradum, comitem Otthonem, comitem Tachauiæ, Otthonem comitem Palatinum in Witelsbach, Otthonem alium de Scheyern, Arnoldum comitem, cum alijs ſeptem; qui omnes vnanimiter, ius ſuum, quod in caſtro Scheyern habebant, beatæ Mariæ ſemper virgini ad conſtruendum monaſterium obtulerunt; Ipſumque locum in ſepulchrum ſui & generis ſui perpetuam elegerunt. Arnoldus autem comes partem ſuam non Deo, ſed Diabolo offerēs, proiecta in aerem chyrotheca ſua dixit: *Vos domine Diabole, accipite partem meam in ius veſtrum*: Chyrothecam dæmones abſtulerunt. Cæteri autem nō obſtante vnius perfidia, inceptum opus hilari animo compleuerunt.

Anno Domini M. C. LXIIII. obijt Gebhardus de Burckhauſen dux in Bauaria, moritur vir ſtrenuus, iuſtus, ac timens Deum. Eodem anno dux Bauariæ, Dalmatiæ & Croatiæ Conradus, moritur in Scheyern, qui ſibi memoriam æternam apud poſteritatem magnificis rebus acquiſiuit.

HENRICVS filius ducis Henrici dicti Leonis Saxoniæ, frater Otthonis Imperatoris quarti, & Wilhelmi ducis Brunſvvicenſis, comes Palatinus Rheni factus, vxorem duxit Agnetam, filiam Conradi comitis Palatini Rheni, quæ peperit ei duas filias, Gertrudem, quam dux Bauariæ duxit vxorem, & Alheidem, quam duxit Ericus comes Badenſis. Mortua Agnete prima vxore, Henricus aliam duxit Agnetam, filiam nobiliſſimi comitis de Lanſsburg, ex qua non ſuſcepit liberos.

Anno Domini M. C. LXXXVIII. Ottho nobiliſſimus Bauariæ dux moritur; in monaſterio Scheyrn ſepultus, iuxta Bernherum fratrem, filium relinquens nomine Ludouicum.

*Ludouicus.*

LVDOVICVS dux Bauariæ, filius Otthonis ſupradicti, Princeps mortuo patri ſucceſſit. Vxorem habuit Ludimillam filiam regis Bohemiæ, quæ peperit ei filium Otthonem nomine, ducem Bauariæ & comitem Palatinum, de quo poſtea dicemus. Hæc Ludimilla ante Ludouicum nupſerat Alberto Marchioni de Pogen, cui peperit duos filios, videlicet Albertum & Bertholdum Marchiones poſt patrem.

LVDIMILLA duciſſa Bauariæ, vxor Ludouici, conſtruxit monaſterium in Bauaria nomine Stedental, in quo & ſepulta iacet.

LVDOVICVS dux Bauariæ cum Imperatore Friderico ſecundo, Honorio Papa tertio, & Lupoldo duce Auſtriæ perrexit ad terram ſanctam, qui inſidijs poſtea Imperatoris Friderici interfectus fuit apud Kelham. Anno domini M. CC. XXXI.

*Otho.*

** al. Agnetem.*

OTTHO dux Bauariæ, comes Palatinus Rheni, filius Ludouici ſupradicti ducis Bauariæ, patri ſuccedens, vxorem habuit Gertrudem* filiam Henrici comitis Palatini Rheni, quæ peperit ei duos filios, Henricum & Ludouicum.

*Heidelberg.*

*Braubach.*

Iſte Ludouici ducis filius Ottho, ducatum Bauariæ poſt patrem, vt legitimus hæres obtinuit, & comitatū Palatinum Rheni Heidelberg, cumque ad eum pertinentibus, cum vxore in poſſeſſionem ſuſcepit: Quæ Brubach in feudum dedit comiti de Catzenellenbogen.

OTTHO itaque dux Bauariæ, & comes Palatinus Rheni, in principio ſui regni pius ac ſtrenuus, ac iuſtus Princeps fuit, ſed poſtea propter diſſenſionem, quam habuit cum Friderico Imperatore, & eius filio Conrado, ab Innocentio Papa fuit excōmunicatus. Qui ob hanc cauſam in odium cleri excandeſcens, malū malo adijciens, anno Domini M. CC. XLV.

cum

cum in vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli lætus cum vxore & familia fuiſſet, ſubitanea morte obijt.

*Ludouicus.*

OTTHONE duce Bauariæ mortuo, Ludouicus & Henricus filij eius principatū patris inter ſe diuidunt. Ludouico cecidit comitatus Palatini Rheni, cum cæteris alijs in Bauaria ſuperiori; Henrico vero ſors dedit Lanſhutam, cum Bauaria inferiori. Anno Domini M.CCLVI.

LVDOVICVS comes Palatini Rheni, dux Bauariæ, filius Otthonis ducis Bauariæ, Princeps prædicti frater Henrici, primo duxit vxorem Mariam, filiam ducis Brabantiæ, quam anno domini M. CC. XLVII. ipſe necauit. Poſtea accepit Annam filiam regis Poloniæ. Genuit autem tres filios: Ludouicum, Rodulffum comitem Palatinum, & alium Ludouicum, poſtea regem Romanorum, de quibus infra per ordinem dicemus.

Anno Domini M.CC.XLVII. Ludouicus dux pro defenſione Bauariæ Caſtrum, quod dicitur Fridburg, contra Epiſcopum Auguſtenſem & ciuitatem conſtruxit. Ludouicus poſt multa egregie perpetrata moritur, & in Furſtenfeld, quod ipſe ante conſtruxit, ſepelitur; poſt quem filij eius ſurrexerunt, vt ſuo loco dicemus.

*Henricus.*

HENRICVS dux Bauariæ, filius Otthonis ducis Bauariæ, & comitis Palatini Rheni, iam dicti Ludouici frater, habuit vxorem Elizabeth filiam Beli regis Vngariæ, qui fuit frater ſanctæ Elizabeth viduæ, quæ peperit ei tres filios: Otthonem regem Vngariæ, Ludouicum, & Steffanum duces Bauariæ, quorum in ſequentibus faciemus mentionem.

*Bogen.*

Anno Domini M.CC.XXXI. Albertus vltimus comes de Bogen moritur, cuius comitatus ad duces Bauariæ conuertitur. Henricus dux Bauariæ prædictus moritur, anno Domini M.CC.XC. & in Lanſhuta ſepelitur. Alij dicunt quod in Burckhauſen ſit ſepultus. Reliquit autem tres filios, de quibus poſtea dicemus.

*Rudolphus.* **al. Metzā.*

RVDOLFFVS comes Palatinus Rheni dux Bauariæ, filius Ludouici, cuius frater erat Ludouicus rex Romanorum, de quo poſtea dicemus. Vxorē Mechtildem * filiam Adolffi regis Romanorum habuit, quæ peperit ei tres filios Rudolffum, Rupertum, & Adolffum, de quibus poſtea dicetur. Ab iſto Rudolffo deſcenderunt omnes comites Palatini Rheni, qui hodie viuunt, quemadmodum ex eorum Genealogia clare patebit in ſequentibus.

*LVDOVICVS Bauarus Imperator.*

Cum Ludouicus frater Rudolffi ſupradicti comitis Palatini eſſet electus in regem Romanorum, ipſe Rudolffus id moleſte ferens, Fridericum ducem Auſtriæ elegit in regem Romanorum. Quod factum Imperator Ludouicus tam ægre tulit, vt eum omnium poſſeſſione paterna ſpoliatum expelleret de patria, qui fugiens in Angliam, ibi mortuus eſt. Filij tamen eius, à fratre Imperatore, ad hæreditatem paternam admiſſi ſunt, ſicut dicemus.

LVDOVICVS comes Palatinus Rheni dux Bauariæ, Imperator Romanorum, filius Ludouici ſupradicti principis, & frater Rudolffi, cuius iam fecimus mentionem, Imperator Romanorum factus eſt anno Domini M.CCC.XV. Vxorem habuit Margaretham Philippi regis Francorum ex filia neptem. Soror enim regis Philippi nupſerat Wilhelmo comiti de Hannegau, quæ peperit Wilhelmum ducem Holandiæ, & Margaretham vxorem Ludouici ipſius Imperatoris: quæ peperit ei ſex filios, Ludouicum videlicet Marchionem Bradenburgenſem, Steffanum in Lanſhuta, Albertum in Strubingen, Wilhelmum ducem Hollandiæ, Selandiæ, Friſslandiæ & Bredæ; Ludouicum qui dicebatur Romanus (quia Romę natus fuit) & Otthonem Brandenburgenſem. Igitur ex hac Margaretha vxore Ludouici Imperatoris, ducatus Hollandiæ, Selandiæ, Friſiæ, Henegauiæ cū alijs pertinentibus ſibi terris, ad duces Bauariæ iure hęreditario peruenit anno Domini MCCCXXIIII. *Hollandia.*

*Deinceps filios Henrici ducis Bauariæ in Lanſhuta habitantis, filij Otthonis ducis, ac fratris Ludouici penes hos inſeram, & generationis eorum ſeriem explicabo.* Fuerunt autem tres, Ottho rex Vngariæ, Ludouicus & Stephanus duces Bauariæ, ſicut ſupra demonſtratum eſt.

*Otho rex Vngariæ.*

OTTHO dux Bauariæ & rex Vngariæ, filius Henricis duci in Lanſhuta commorantis, frater Ludouici & Stephani ducum Bauariæ, vxorem habuit filiam ducis Poloniæ, quæ peperit filium nomine Henricum, quatuordecim diebus ante mortē ipſius Otthonis, anno Domini M. CCC. IX. Rex Vngariæ ſine filijs mortuus eſt, vnde principes Vngariæ Otthonem ducem Bauariæ prædictum, vt hæredem regni viciniorem (quia filius erat Beli regis Vngariæ) miſſa legatione in regem Vngariæ elegerunt; quem

etiam cum gladio regali more coronarunt. Cum ergo Pannoniam valida manu intraſſet, poſt aliquot dies conſulentibus Vngaris, & omnimodam ei fidelitatem promittentibus, milites ſuos remiſit in Bauariam, ac poſt coronationem ſuam, cum vlteriorem Vngariam penetraſſet, à quodam Principe regionis captus fuit; cuius filiam cum nollet in vxorem recipere, ope cuiuſdam famuli dimiſſus per murum, veſte mutata, euaſit ſolus, & in forma ruſtica, Pruſcia multisque peragratis terris, venit Vratislauiam, vbi cognitus & traditus, à duce Poloniæ captus eſt denuo. Cuius filia in matrimonium ſuſcepta, cum magno honore in Bauaria ſuſceptus eſt, & non multo poſt obijt.

OTTHO rex Vngariæ, ac dux Bauariæ, cum videret ſibi tempus imminere moriendi, filium ſuum Henricum puerum XIIII. dierum, qui poſtea dicebatur Princeps de Notterberg, & duos fratris ſui Stephani filios, Henricum qui octo habebat ætatis annos, & Otthonem qui nec dum ſeptimum compleuerat annum, ciuibus in Lanſhuta, & in Strubingen commiſit, nemini ſub iuramento tradendos quam Lodouico duci ſuperioris Bauariæ; & mortuus eſt anno Domini M. CCC. XII. Quo mortuo, nobiles terræ ſupradictos tres pueros Lanſhutenſibus & Strubingenſibus ab Otthone ipſo commiſſos, ſibi donari poſtulabant, volentes illos ſub tutelam ducis Auſtriæ locare, & dominium hoc in eum transferre.

Itaque anno Domini milleſimo CCCXIIII. in die ſancti Theodori martyris, per hanc occaſionem factum eſt prælium magnum inter ducem Ludouicum (poſtea Imperatorem) & ducem Auſtriæ, circa villam quandam Gamelſzdorff dictam. Et dux Ludouicus victor euaſit, ſibique dominium puerorum, vt legitimus tutor obtinuit.

*Stephanus.* STEPHANVS dux Bauariæ, frater Otthonis regis ſupradicti Vngariæ, filius videlicet ducis Henrici in Lanſhuta, reliquit duos filios, Henricum, cognomento probum, & Otthonem de Burghauſen. Henricus habuit vxorem filiam Ioannis regis Bohemiæ, ſicut poſtea dicemus. Hos duos principes vna cum filio ſuo Henrico Notterberger, Ottho rex Vngariæ & dux Bauariæ iam moriturus ciuibus in Lanſzhuta & Strubingen commiſit, ad Lodouicum (poſtea Imperatorem) tutorem eorum legitimum deferendos: vt ſupradictum eſt.

LVDOVICVS dux Bauariæ, filius Henrici ducis in Lanſzhut, ac frater Otthonis regis Vngariæ & Stephani ducis ſupradictorum, ſine liberis mortuus eſt.

*Henricus.* HENRICVS filius Stephani, cognomento Probus vel Senior, ad differētiam Henrici Iunioris filij Otthonis Vngariæ regis, dux Bauariæ, habuit vxorem filiam Ioannis regis Bohemiæ, quæ peperit ei filium nomine Ioannem, qui duxit in vxorem filiam ducis Ludouici, ſed ſine liberis mortuus eſt non multo poſt patrem ſuum.

OTTHO filius Stephani ducis Bauariæ, frater ſupra dicti Henrici, qui vitam degebat in Burghauſen, mortuus eſt ſine liberis Anno Domini M.CCC.XXXV.

HENRICVS filius Otthonis regis Vngariæ, dictus iunior, ſiue Notterberger, dux Bauariæ, cuius mater fuit filia ducis Poloniæ, cum eſſet XX. annorū, ſine liberis obijt. Anno Domini M.CCC.XXXIII. Supradicti tres duces, Henricus probus, Ottho frater eius de Burghauſen & Henricus iunior ſiue Notterberger filius Otthonis regis Vngariæ inferiorem Bauariam inter ſe diuiſerunt, vt ſequitur.

## DIVISIO BAVARIÆ INFERIORIS INTER PRÆDICTOS DVCES.

ANNO Domini M. CCC. XXXI. facta eſt magna diſſenſio inter Henricum ducem cognomento Probum ex vna, & Otthonem fratrem eius, & Henricum iuniorē filium Otthonis regis Vngariæ ex altera parte, ſuper ducatu inferioris Bauariæ. Vnde Iohannes rex Bohemiæ, ſocer Henrici ſenioris, cum alijs principibus conuentum habuit in Ratisbona, ſub certa ſpe, prædictos duces in concordiam perducendi. Iam enim Ludouicus Imperator Vngaros in auxilium pro Otthone & Henrico iuniore vocauerat. Poſt multos tandem tractatus, conſenſerunt, vt inter eos partiretur ducatus; quod & factum eſt, circa feſtum ſancti Bartholomei Apoſtoli, anno vt ſupra. Sors itaque cecidit: Henricus ſenior obtinuit Lantshut, Straubing, Scherdingen, Pfarkirchen, & alia caſtella circumiacentia. Ottho frater eius accepit Burghauſen, Ottingen, Tranſtein, Hall, & reliqua caſtella, vſque ad Alpes Saltzburgenſes. Porro Henrico iuniori ſors dedit Dingelfingen, Landavve, Vilhoffen, Deckendorff, Cham, Pogen, Kelham, & alia in circuitu iacentia oppida, & caſtella.

Anno Domini M. CCC. XXXII. Henricus dux ſenior iterum cum Otthone fratre ſuo, & Henrico iuniote ſuper ducatu Bauariæ altercari cœpit, & hi duo Ludouici Imperatoris auxilium inuocarunt, qui mandauit illi ſerio, vt quam cito à male cœ-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

le cœptis deſiſteret. Quo nolēte, Imperator collecto exercitu Straubingen in propria perſona octo hebdomatibus acriter obſedit. Interea Iohannes rex Bohemiæ denuo adueniens, pacem inter eos compoſuit.

HENRICVS dux Bauariæ iunior, filius Otthonis regis Vngariæ præfatus moritur, anno Domini MCCC. XXXIII. ſine liberis, anno ætatis ſuæ XXI. Ottho dux Bauariæ filius Steffani ducis ſæpedicti obijt anno Domini MCCC. XXXV. ſine liberis. Henricus ſenior frater Otthonis dux Bauariæ moritur anno Domini M. CCC. XLIX. filium relinquens nomine Ioannem, qui patri in ducatu breui tempore viuens ſucceſſor fuit.

*Iohannes.*

IOANNES dux Bauariæ filius Henrici ducis ſenioris prædicti, patri mortuo in ducatu inferioris Bauariæ ſucceſſit annis paucis. Vxorem habuit filiam ducis Ludouici, & non longe poſt patrem ſine liberis moritur. Mortuo itaque ſine liberis Ioanne duce prænominato, Ludouicus Imperator & dux Bauariæ hæreditatem eius accepit: à quo ſunt omnes duces inferioris Bauariæ qui hodie viuunt, vt ſuo loco dicemus. Et ſic ſtirps Henrici ducis Lanſzhulenſis hic deficit.

*Bauariæ Ducum ſtirpes.*

Anno Domini M. CCCXV. Ludouicus dux Bauariæ in regem Romanorum (ſicut diximus) electus fuit: contra quem Fridericus dux Auſtriæ, per Rudolffum fratrem Ludouici, & quoſdam alios, fuit electus in regem, vnde multa mala & bella orta ſunt. In die igitur, quæ feſtum ſancti Michaelis præcedit, vterque cum multitudine armatorum proceſſit ad bellum, inter Muldorff & Oetingen, in prato iuxta viam: in quo, cum acriter pugnarent Ludouicus victor euaſit, & Fredericum ducem Auſtriæ cepit, quem in Caſtello quod dicitur *Trauſenitz*, non longe à Naburg, cuſtodiæ mandauit; fratrem vero ſuum Rudolffum (vt ſatis diximus) ſpoliatum omnibus bonis in exilium compulit. Tandem Imperator Ludouicus, dolis & falſis literis magiſtri Vdalrici de Auguſta Cancellarij ſui, indignationem Papæ Ioannis XXII. incidit, à quo excommunicatus fuit. Quod quomodo acciderit, cum opus fuerit, latius declarabo. Ad hunc Imperatorem Ludouicum Wilhelmus Ockan ordinis minorum, vir doctiſſimus, cum quibuſdam alijs ſui ordinis fratribus, à Papa Ioanne XXII. exacerbatus confugit, apud eum defenſus manſit, & contra Papam ſcripſit, eumque hæreticum declarauit. De quibus alibi latius habetur.

*Vlricus Hagenobr. Alias de his M. Alber. Argentin. in Chronic.*

LVDOVICVS Imperator multa miranda fecit, & paſſus eſt, quæ in hoc compendioſo indice compræhendere nullomodo poſſum. Si neceſſe fuerit, oportuno tempore ſcribam.

Anno Domini M. CCC. XLVII. in die ſancti Gerionis martyris, Imperator Ludouicus in venatione conſtitutus, habebat in comitatu ſuo diuiſam Auſtriæ quandam, quam omnes propter tetram fœdamque corporis diſpoſitionem *Maulteſch* appellauerunt. Hæc vbi etiam ab Imperatore contemni ſe videbat, infremuit, & ſimulato hilari vultu, potum Imperatori, prior bibens ipſa, poſtea obtulit, qui ex bona fide ſumpto poculo, poſt moram paruam de equo interfectus cecidit, & in ſinu cuiuſdam ruſtici inclinatus expirauit, in nemore prope Furſtenfelt ſepultus eſt in eccleſia beatæ Mariæ ſemper virginis.

*Palatinorum Comitum ſtirpes.*

*Nunc de filijs Rudolffi comitis Palatini Reni, & ducis Bauariæ, fratris Ludouici Imperatoris ſupradicti, ſeriem generationis continuabo, à quo omnes comites Palatini Rheni huius temporis deſcenderunt. Poſtea filios ipſius Ludouici Imperatoris adiungam, à quibus duces inferioris Bauariæ exorti ſunt, quia generatio principum multiplicata deinceps in varias ſucceſſiones ſucceſſit, ſolos principales duces Bauariæ ac comites Rheni Palatinos ſcribam.*

Igitur fugato in Angliam Rudolffo comite Palatino Rheni & duce Bauariæ ſupradicto à fratre ſuo (quemadmodum nos dixiſſe meminimus) & mortuo, Imperator Ludouicus dixit, cum filios eius vidiſſet: *Pater, & non filij in me deliquit, vnde non eſt æquum pœnam alieni ſceleris eos ſubire.* Dedit itaque eis poteſtatem eligendi inter Bauariam, Sueuiam, Auſtriam, & Rhenum, quam ex his prouincijs voluiſſent. Qui conſilio præhabito hæreditatem paternam, ſcilicet comitatum Palatinum Rheni, cum ſuis proprietatibus & cæteris ciuitatibus in Bauaria, videlicet Amberg, & Naburg, cum adhærentibus ſibi alijs elegerunt, anno Domini M.CCC.XXXIX. ſexta feria ante diem ſancti Oſvvaldi martyris. Filij autem Rudolffi fuerunt tres: videlicet Rudolffus, Adolffus, & Rupertus. De quibus per ordinem dicemus.

*Rudolfus.*

RVDOLFFVS primogenitus Rudolffi ſupradicti comitis Palatini Rheni, nō multum ſapiens vel aſtutus fuiſſe perhibetur, vxorem habuit Ludouici regis Vngariæ ſororem, quæ peperit ei filiam nomine Margaretam, quam duxit vxorem Carolus Bohemiæ rex,

*Newſtatt.*

poſtea Imperator Romanorum. Rupertus autem ſine filijs mortuus eſt, & ante chorum eccleſiæ in Noua ciuitate ſepultus. Margaretha filia Rudolphi & vxor Caroli regis Vngariæ, peperit tres filios & duas filias: Wenceslaum regem Romanorum poſt patrem, Ioannem regem Bohemiæ, Sigiſmundum regem Vngariæ, & poſtea Imperatorem: Helenam, quę accepit filium regis Angliæ, & Margaretham vxorem marchionis antiquæ Marchiæ.

*Adolfus.*

ADOLPHVS comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, filius Rudolphi principis, & frater ſupradicti Rudolphi, habuit vxorem filiam comitis de Ottingen, quæ peperit ei filium nomine Rupertum iuniorem, qui & nomine patris plærunque dicebatur Adolphus, de quo poſtea dicemus.

*Rupertus, Ruffus.*

** al. Eliſabetam comitiſſam de Namur.*

*Heidelbergenſis Academia.*

RVPERTVS filius Rudolphi, princeps, & frater ſupradictorum principum, Rudolphi & Adolphi, comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, habuit duas vxores: prima fuit Mechtildis duciſſa Brabantiæ, * quæ ſine liberis mortua eſt, ſecundam Beatricem filiam ducis Montenſis, à qua liberos non ſuſcepit. Iſte Rupertus vniuerſale gymnaſium Heidelbergenſe fundauit, quod Benedictus Papa XII. confirmauit. Eccleſiam quoq; collegiatam in Noua ciuitate pulchro tabulatu lapideo conſtruxit. Moritur autem anno Domini M.CCCXL.XII. die menſis Februarij, in choro eccleſiæ Nouæ ciuitatis ſepultus. Conſequenter filios Ludouici Bauari Imperatoris, & ſucceſſiones eorum, per quos Bauaria inferior poſſeſſa eſt, annotabo.

*Ludouicus Brãdeburg.*

*Tirolis comitatus.*

LVDOVICVS marchio Brandenburgenſis, filius Ludouici Bauari Imperatoris, vir pius, iuſtus, & bellicoſus, vxorem habuit filiam comitis Tyrolenſis, quę peperit ei filium nomine Meynhardum, qui poſtea fuit comes in Tyrol, qui duxit vxorem Adolphi ducis Auſtriæ ſororem, & ſine hæredibus mortuus eſt, cuius vxor comitatum Tyrolenſem fratri ſuo Rudolpho duci Auſtriæ fecit eſſe ſubiectum, vnde diſſenſio inter duces Bauariæ & Auſtriæ non modica facta eſt.

*Steffanus.*

STEPHANVS dux Bauariæ, filius Ludouici Imperatoris & ducis Bauariæ, ac frater ſupradicti Ludouici Brandenburgenſis morabatur in Lanſzhuta. Habuit autem tres filios: Stephanum, Ioannem, & Fredericum, qui poſt mortem patris ducatum eius inter ſe diuiſerunt anno Domini M. CCC. XIII. Ioannes accepit Bauariam ſuperiorem, videlicet Monchen, cum ſuis attinentijs, Stephanus Ingelſtat; & Fredericus Lanſzutham in ſortem acceptauit, de his ſuo loco dicemus.

ALBERTVS dux Bauariæ de Strubingen, filius Ludouici Imperatoris, & frater duorum ducum prædictorum, Ludouici & Stephani, pro portione patrimonij ſui, Strubingen cum illi adhęrentibus accepit; bonus, iuſtus, ac pius princeps. Habuit vxorem filiam Ludouici ducis Poloniæ, quæ peperit ei tres filios: Wilhelmum, Albertum & Ioannem, è quibus Albertus poſſedit Bauariam inferiorem, Strubingen videlicet cum adiacentibus. Non habuit vxorem & mortuus eſt ſine liberis. Ioannes autem electus Leodienſis, qui poſt mortem fratris Epiſcopatum quem multis annis vt electus poſſidebat, dimittens, duxit vxorem, ſacro Conſtantiæ cum eo diſputante concilio, quemadmodum ſuo loco dicemus.

Habuit etiam dux iſte Albertus ſupra dictus duas filias, quarum vnam in vxorem accepit Iohannes dux Burgundiæ, qui contra Turcos duxit exercitum. Aliam nomine Ioannam accepit Albertus dux Auſtriæ, quæ peperit ei filium nomine Albertum, & filiam nomine Elizabeth. Albertus duxit vxorem Elizabeth, filiam Sigiſmundi Imperat. Roman. Aliam duxit in coniugem Henricus dux Bauariæ filius ducis Lanſzhutenſis.

Anno M CCCCV. Albertus dux Bauariæ ſupradictus moritur, filius videlicet Ludouici Imperat. & in Hollandia iacet ſepultus, cuius titulus erat iſte: *Albertus Dei gratia comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ, comes Henegauiæ, Selandiæ, Hollandiæ, & dominus Friſiæ.* Mortuo autem duce Alberto Wilhelmus filius eius comitatus & dominium inferioris terræ Henegauiæ, Hollandiæ, Selandiæ, & Friſiæ poſt eum paucis annis gubernauit, qui & ipſe mortuus eſt anno Domini M.CCCCIX. Cuius filia nomine Iacoba hæreditatem paternam ſibi vendicare & poſſidere volens, ſe filiam prædictorum comitatuum ſcribebat. Contra Ioannes frater patris ſui, epiſcopatum Leodienſem dimittens (ſicut diximus) terras iſtas & comitatus per vim multis bellis in ſuam poteſtatem redegit, qui ſpe ſucceſſionis, vxorem duxit filiam Ioannis ducis Gerlitzenſis; * ſed tamen ſine liberis deceſſit, à magiſtro curiæ ſuæ intoxicatus, anno Domini M. CCCCXV. Poſt cuius mortem domina Iacoba, fratris

** al. Lauſitzenſis.*

fratris ſui Wilhelmi filia, iterum terras illas iure hæreditario poſſidere properabat, contra quam dux Burgundiæ iunior ſe erigens, terram inuaſit, & obtinuit, poſſidens eam in ſucceſſione ſtirpis ſuæ vſq; in hodiernum diem.

*Wilhelmus Holland.*

WILHELMVS dux Bauariæ Comes Hollandiæ filius Ludouici Imperatoris Bauari, ac frater prædictorum Principum, qui dicebatur HOLLANT, fuit vir bonus & ſtrenuus. Hic intoxicatus ab impijs & peruerſis hominibus, liberum rationis vſum amiſit, & ſine liberis mortuus eſt. Cuius dominium Albertus frater eius ſuſcepit.

*Ludouicus Romanus.*

LVDOVICVS Romanus, dux Bauariæ, filius Ludouici Imperatoris, ac frater ſupra nominatorum principum, ideo dictus fuit Romanus, quia cum Imperator vnâ cum vxore Romæ eſſet conſtitutus, ibidem natus eſt, qui & ipſe ſine liberis deceſſit.

*Otto Brandeburg.*

OTTO Brandenburgenſis dictus, dux Bauariæ, filius Ludouici Imp. & frater prædictorum principum, ac Marchio, etiam mortuus eſt, Anno Domini M.CCCLXXIX. ſine liberis.

Anno Domini M. CCCLIII. Ludouicus Marchio Brandenburgenſis Rupertus (id eſt Adolffus ſenior) Comes Palatinus Rheni, & Ioannes Burggrauius Nurnburgenſis, inter Stephanum, Albertum, & Wilhelmum filios Ludouici Imperatoris ducatum Bauariæ diuiſerunt, de quibus dictum eſt. Actum Ratiſponæ in die Sancti Oſualdi.

Anno Domini M. CCCXLVIII. dominus Conradus de Deckin domo ſua in ciuitate Monacenſi à Suickero de Gundelfingen interfectus eſt. Albertus dux Bauariæ filius Imperatoris Ludouici caſtrum Notterberg & Strubingen muniuit contra metum Caroli Imperatoris, de quo fama fuit, quod bello vellet eum impetere. Sed concordia interueniente diſſenſio ſedata eſt.

*Adolphus.*

RVPERTVS Comes Palatinus Rheni, & dux Bauariæ (qui & Adolffus) filius Adolffi principis Palatini, de quo ſupra fecimus mentionem, dictus etiam Iunior, ad differentiam ſenioris Ruperti fratris patris ſui, vxorem habuit Beatricem filiam regis Siciliæ, quæ peperit ei Rupertum paruum, poſtea regem Romanorum, de quo ſuo loco dicemus.

RVPERTVS iſte Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ ac Princeps elector, vir ſtrenuus, & arte bellandi valde promptus, tempore Caroli Imperatoris Saxoniam armata manu ingrediens, vno die bis triumphauit de Saxonibus, tertio vero congreſſu victus ab eis & captus eſt.

*Iam nunc ſeriem generationis ducũ Bauariæ ex filiis Ludouici Imperatoris deſcendentium proſequamur, quia de ſtirpe Rudolffi Comitis Palatini, præter præfatum Rupertũ ſemen virile non fuit.*

*Meinhardus.*

MEYNHARDVS Comes in Tyrol, filius Ludouici Brandenburgenſis, qui fuit filius Ludouici Bauari Imperatoris: habuit vxorem Adolffi ducis Auſtriæ, & ſine liberis obijt, cuius ducatum vxor eius fratri ſuo Rudolffo Auſtriæ duci tradidit, nõ ſine præiudicio ducum Bauariæ. Præter iſtum Meynhardum Ludouicus filios non reliquit.

*Stephanus.*

STEPHANVS dux Bauariæ filius ducis Steffani, qui fuerat filius Imperatoris Ludouici, qui poſſidebat Ingelſtat, cum ſibi adhærentibus, genuit duos filios Ludouicum ducẽ Bauariæ in Ingelſtat, & Ioannem Epiſcopum Ratiſponenſem, ac filiam vnam nomine Elizabeth, quam rex Francorum accepit vxorem.

*Iohannes.*

IOANNES dux Bauariæ ſuperioris, filius Steffani ducis, filij Ludouici Imper. ac frater ſupradicti Steffani habuit vxorem filiam Ducis Gerlicenſis, de qua genuit Erneſtum & Wilhelmum filios, ac Sophiam filiam vnam, quam dedit vxorem Wenceslao regi Romanorum. Hic dux Ioannes pro partitione paternæ hæreditatis obtinuit Monacum cum alijs circumiacentibus caſtellis.

FREDERICVS dux Bauariæ, filius Steffani, filij Ludouici Imperatoris, ac frater prædictorum principum Steffani & Ioannis, in partitionẽ hæreditatis paternæ Lanſzhutã obtinuit cũ ſibi adhærentibus. Vxorem habuit ſororem ducis Mediolanenſis, quæ peperit ei filium vnum, Henricum in Lanſzhut, & duas filias: Margaretham videlicet, & Elizabeth, quam dedit vxorem Frederico Burggrauio Nurnbergenſi, quẽ Imperator fecit Marchionem Brandenburgicum. Steffanus quoq; ſupradictus frater huius Frederici, aliam ſororẽ ducis Mediolani, vxoris huius ſororem duxit vxorem.

Hæreditatis paternæ diuiſio inter præfatos tres principes Bauariæ facta eſt, Anno Domini M.CCCXCII.

*Nunc de filiorum Alberti, filii Ludouici Imperatoris, ac fratris prædictorum Ludouici & Steffani generationis ſerie dicamus.* Fuerunt autem tres, Wilhelmus, Albertus, & Ioannes.

*Wilhelmus.*

WILHELMVS dux Bauariæ filius Alberti, filij Ludouici Imperatoris ſupradicti, pro hæreditatis paternæ portione factus Comes Hennegauiæ, Hollandiæ, Selandiæ, & Friſiæ, non reliquit ſemen virile, ſed habebat filiam vnam nomine Iacobam, quæ primo nupſerat Delphino Franciæ, poſtea duci Brabantiæ, deinde fratri Regis Angliæ, & vltimo cuidam nobili dicto Francken. Hic Wilhelmus, mortuo ſuo patre, comitatum Henegauiæ, Hollandiæ, Selandiæ & dominium Friſiæ hæreditario iure poſſedit.

Wilhelmus iſte dux Bauariæ, mortuus eſt nullo relicto filio Anno domini MCCCCIX. poſt quem Ioannes electus Leodicenſis, frater eius, repulſa filia fratris Iacoba, dominium eius multorum ſanguine acquiſiuit.

*Albertus.*

ALBERTVS dux Bauariæ filius Alberti ducis in Strubingen, filij Ludouici Imperatoris, frater ſupradicti Wilhelmi, vir fortis, iuuenis, & decorus facie, qui poſt obitū patris inter fratres ſuos obtinuit Strubingen cum adiacentibus caſtellis, villis, & proprietatibus. Non habuit vxorem, & ſine filijs deceſſit; ſepultus in medio choro fratrum Carmelitarum in Strubingen.

*Iohannes.*

IOANNES dux Bauariæ filius Alberti ducis, filij Ludouici Imperatoris, frater Wilhelmi & Alberti ſupradictorum principum, Electus in Epiſcopum Leodienſis Eccleſiæ multo tempore fuit, hic poſt multos annos mortuo fratre ſuo Wilhelmo, Comitatum Henegauiæ, & Hollandiæ cum cæteris dominijs eius obtinuit, Iacoba fratris ſui filia reclamante. Qui ſperans ſe legitimum habiturum hæreditatis ſuæ poſſeſſorem, habita diſpenſatione concilij Conſtantienſis duxorem filiam Ioañ. ducis Gerlicenſis,* fratris Sigiſmundi Imperatoris, de qua legitimum hæredem non ſuſcepit. Anno Domini MCCCCVIII.

** Al. Lauſitzenſis.*

Ioannes iſte dux Bauariæ adhuc gerens ſe pro electo Leodienſis Eccleſiæ, à Leodibus obſidetur in Traiecto ſuperiori poſitus, cui Wilhelmus frater eius ſæpe dictus, & Iohannes dux Burgundiæ, filius ſororis ſuæ cum duobus millibus in auxilium occurrunt. Inito certamine, Ioannes & Wilhelmus victores facti ſunt, & pluſquam XXV. millia Leodienſium proſtrauerunt. Porro de exercitu ſuo decem duntaxat cecidiſſe perhibentur.

Anno Domini M. CCCCXXV. Ioan. ſupradictus Bauariæ dux & comes, in Henegau, Hollant, Selant, & dominus in Friſia, veneno perijt, inſidijs officialis ſui cuiuſdam, quem Magiſtrum curiæ ſolemus appellare. Mortuo autem illo, Ioannes dux Burgundiæ filius ſororis eius, contradicente Iacoba filia Wilhelmi ducis ſupradicti (quæ fuit legitime hæres) Comitatum Henegau, Hollandiæ, Selandiæ, & dominium in Friſia potenter obtinuit, & ſic à ducibus & domo Bauariæ principatus iſte ablatus eſt.

*Holland Burgundis accedit.*

*RVPERTVS Palatinus, Rex Rom.*

RVPERTVS comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ, & Rex Romanorum, filius Ruperti principis illuſtriſſimi (de quo ſupra dictum eſt) vir potens, iuſtus, & miſericors in pauperes, vxorem habuit Margaretham filiam Burggrauij Nurnburgenſis, quæ peperit ei ſex filios, tres filias: Rupertum dictum Pium, Fredericum Amberg, Ludouicum Barbatum principem electorem, Ioannem Naburg, Steffanum Zvveybrucken, & Ottonem Moſebach, Agnetam, Margaretham, Elizabeth. De his principibus poſtea dicemus.

Anno domini M.CCCC. circa feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ ſemper virginis, cōcernentibus in vnum principibus apud Franckfordiam, & depoſito Wenceslao, Rupertus prædictus Comes Palatinus Rheni & Dux Bauariæ in Regem Romanor. electus fuit, & regnauit annos X.

Iſte Rupertus dux & rex magnificus, exercitū duxit in Bohemiam, contra Wenceslaum, & tam ferro quam igne multa genti Bohemorum mala intulit, & nonnulla caſtra & dominia Bauariæ ab illis poſſeſſa, ad duces Bauariæ reduxit. Alia quoque multa permagnifica fecit, quæ hoc loco non poſſumus enarrare. Moritur in Oppenheym Anno Domini M.CCCCX. menſis Maij die 18, in eccleſia S. ſpiritus (quam ipſe conſtruxit) Heydelbergæ cum vxore ſepultus.

*Vid. Wimpheling. in German. cap. 47.*

*Conſequenter ſeriem generationis ducum Bauariæ ex Ludouico Imperatore deſcendentium primo continuabo, ac deinde filios regis Ruperti Comites Palatinos Rheni adiiciam.*

*Ludouicus Dux. Vide Auentin. lib. 7. fol. 645.*

LVDOVICVS dux Bauariæ, filius Steffani Ducis in Ingelſtat, frater Ioannis Epiſcopi Ratiſponenſis & Elizabeth reginæ Francorum, Comes in Mortain, habuit vxorem nomine Annam ſororem Starlaci regis Cypri, quæ peperit ei filium Ludouicum, qui dictus eſt Hogel, qui puer in ſportula portatus à Pariſiis in Bauariam fuit. Mater vero eius Anna moriens, ſepulta eſt apud Prædicatores in ciuitate Pariſiorum.

Iſte Ludouicus dux Bauariæ & Comes de Mortain, imagines illas precioſas ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſanctæ Mariæ, & duodecim Apoſtolorum, quæ hodie ſunt apud

ducem

ducem Georgium cognomento Diuitem,ſecum ex Gallia portauit in Bauariam.

*Iohannes Epiſcopus Ratisbon.*

IOANNES dux Bauariæ Epiſcopus Ratiſponenſis,filius Stephani ducis in Ingelſtat, ac frater ſupradicti Ludouici,& Elizabeth reginæ Francorũ,præfuit Eccleſiæ Ratiſponenſi, Annis XXVI.

*Erneſtus.*

ERNESTVS dux Bauariæ filius Ioannis ducis in Munchen , ac frater Wilhelmi ſequẽtis & Sophiæ vxoris ſecũdæ Wenceslai regis Bohemiæ ac Romanorũ,in Munchẽ moram faciens,genuit filium nomine Albertum Munchen,de quo poſtea loco ſuo dicemus.

*Henricus.*

HENRICVS dux Bauarię filius Friderici ducis in Lanſhuta,vxorẽ habuit Elizabeth filiã ducis Auſtriæ,quæ peperit ei filiũ nomine Ludouicum,quẽ appellabat Diuitẽ, & duas filias,quarum vnã dedit duci Ottoni de Moſsbach, aliã Comiti Vdalrico de Wirtenberg. Habuit ẽt duas ſorores (quemadmodũ ſupra diximus) quarũ vna Elizabeth nomine vxor erat Frederici Burggrauij Nurenburgenſis,de qua nati ſunt,Albertus, Ioannes, Frederic⁹, & alius Fredericus Marchiones Brãdenburgenſes; & Margaretha, q̃ Ludouicus Hogel dux Bauariæ duxit vxorem. Iſte dux Henricus Lanſhut in principio parcus fuit, & pauper , ſed in fine valde diues fuit inuentus:vxor vero eius mulier ingenioſa , omnes artes & ſcientias honeſtas amabat.

*Redit ad Palatinos à Ruperto Rege deſcendentes.*

*Rupertus Pipinus.*

RVPERTVS Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ , primogenitus Ruperti regis Roman.qui dicebatur Pipan,zelo fidei armatus, ſe cõtra Turcos nõ ſine magnis expenſis armauit. Nã Anno Domini M.CCCXCIV.Ioannes dux Burgundiæ filius ſororis Alberti ducis de Strubingen,cũ magno exercitu venit in Bauariã contra infideles pugnaturus; cui ſe Rupertus dux iſte cũ multis alijs coniunxit. Cumq; tranſmiſſa Vngaria veniſſent ad quandam ciuitatẽ Turcorũ,q̃ ipſi Nicopolim,noſtri autẽ Schiltavve appellant , per diſſenſionẽ principum ab infidelibus victi ſunt, Dux Burgundiæ cum multis alijs captus,innumerabiles occiſi,ipſe Rupertus vix euadens,pauper in Bauariam eſt reuerſus. Et non multo poſt ſine liberis moritur,& in Amberg ſepelitur.

*Nicepolis.*

FREDERICVS Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ , ſecundo genitus Ruperti regis Roma.Comitis Palatini,ante patrem ſine liberis mortuus eſt.

*Ludouicus Barbatus.*

LVDOVICVS Palatinus Rheni & dux Bauariæ ac princeps elector,tertius filius Ruperti regis Rom.vir probus,iuſtus & ſanctus;qui per Chriſti amorẽ ſanctũ ſepulchrũ eius in Hieruſalem viſitauit,& in mari grauiter infirmatus,cæcus & claudus facta peregrinatione reuerſus fuit,& quia barbam ſuã, quã de terra ſancta reportauit,deinceps radi nõ permiſit, *Dux cum barba*,vel etiã *Cæcus* à vulgo dictus eſt. Vxorem habuit Blancam filiã Henrici regis Angliæ,quæ peperit ei filiũ nomine Rupertũ,qua mortua Anno domini M.CCCCXXVIII. menſe Maio ſecundã duxit vxorẽ Mechtildem * filiã ducis Subaudię,fœminam deuotam, atq; ſanctiſſimã,de qua genuit tres filios:Ludouicum , Fredericũ,& Rupertum , & quaſdã filias,quarum duæ factæ ſunt moniales,tertiam duxit comes Wirtenburgenſis vxorem,& poſt eum Albertus dux Auſtriæ,frater Frederici Imp. tertij.

** al. Margaretam. male.*

Multa de iſto principe laudum præconia dicenda fuerunt , quæ & tempus ocioſum, & aliud volumen requirunt. Hic Ludouicus Dux vniuerſalis Synodi Conſtantienſis electus protector,defenſor & aduocatus fuit:Iohannem XXIII. Papam ſibi à concilio traditum, ferme tribus annis in caſtro ſuo Manheym in cuſtodia tenuit.

*Vide Wimpheling. in German. cap. 56. Manheim.*

Anno Domini M.CCCCXXXVIII. 12. menſis Maij obijt Mechtildis coniux iſtius ſereniſſimi principis. Tandem princeps iſte chriſtianiſſimus Ludouicus propter cæcitatem, & varias infirmitates ab adminiſtratione ſua fuit depoſitus,& non longe poſtea mortuus eſt, Anno Domini M.CCCCVII.vltima die Decembris.

*Iohannes Neuenburg.*

IOANNES Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ,quartus filius Ruperti regis,dictus Neuenburger,vir bonus,& iuſtus. Habuit duas vxores : Catharinam filiam Ducis Pomeraniæ,* quæ peperit ei ſex filios : Chriſtophorum regem Daciæ , Noruegiæ & Suediæ, Ottonem,Iohannem,alium Iohan. Fredericum & Adolffum. Quinq; vltimi omnes in pueritia mortui ſunt. Secunda vxor fuit filia ducis Bauariæ Erneſti de Munchen,de qua nõ habuit liberos. Iſte dux Ioannes multa egit contra Bohemos ſchiſmaticos,& multa pro fide Catholica ab eis paſſus eſt,ſepultus eſt in Neuenberga,vir Deo dilectus.

**al. Margaretam regis Daniæ filiam.*

*Stephanus Bipontinus.*

STEFFANVS Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ,quintus filius Ruperti regis, dictus ZVVEIBRVCKER (propterea q̃ hanc in hæreditatem ſuſcepit) vir iuſtus , probus,& deuotus. Habuit vxorem Annam filiam vltimi comitis Veldenſis,quæ peperit ei quinque filios: Fredericũ de Simmeren,qui obtinuit Comitatũ Spanheymenſem;Ludouicum cognomẽto Nigrum, qui obtinuit Comitatũ de Veldentz; Rupertũ Epiſcopũ Argentinen-

** Annam.*

ſem; Steffanum in Eccleſia Colonienſi Canonicum, & Ioannem Epiſcopum Monaſterienſem, ac poſtea Medeburgenſem Archiepiſcopum. De his quoque ſuo loco dicemus.

*Otho Moſbacenſ.*

Otto Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ cognomento MOSSBACH, quam cum adhærentibus ſuis, in hæreditatem inter fratres poſſidebat, vltimus filius Ruperti regis Romanorum habuit vxorem Iohannam filiam Henrici de Lanſzhuta ducis Bauariæ; de qua genuit Ottonem Moſsbach, Rupertum Epiſcopum Ratiſponenſem, Ioannem & Albertum Canonicos. Iſte Otto tandem moritur, & in Reichenbach ſepelitur.

*Multa de his principibus cauſſa breuitatis cogor omittere, quæ alio tempore latius poterunt explicari. Iam nunc propaginem ducum Bauariæ ex linea Ludouici Imperat. deſcendentium ex ordine continuemus.*

*Ludouicus Gibboſus.*

LVDOVICVS dux Bauariæ dictus Hogel, filius Ludouici ducis Bauariæ & Comitis in Montain natus ex Matre Anna ſorore regis Cypri. Habuit vxorem Margaretham filiam Friderici Burggrauij Nurenburgenſis (poſtea Marchionis) de qua liberos non habuit. Quæ mortuo Ludouico Hogel, Martinum Valenrode in matrimonium occulte fertur ſuſcepiſſe, & poſſidebat Friburg, quod poſtea vendidit Ludouico Duci in Lanſzhut, cognomento Diuiti.

*Friburg.*

*Albertus Monacenſis.*

ALBERTVS Munchen dux Bauariæ filius Erneſti ducis, habuit vxorem filiam ducis Brunſchvvigenſis, de qua genuit quinque filios: Ioannem, Sigiſmundum, Albertum, Chriſtophorum, Wolffgangum. De quibus ſuo loco dicemus. Iſte Albertus in iuuentute ſua habebat quandam concubinam, filiam cuiuſdam balneatoris in Strubingen, admodum ſpecioſiſſimam, quam cæco nimium amore diligebat. Hanc pater eius dux Erneſtus, volens conſulere vtilitati filij potius quam voluptati, fecit ſubmergi: de quo poſtea tamen doluit, cum ex vehementi dolore filij incendia & multa mala ſequerentur.

*Adolfus.*

ADOLPHVS dux Bauariæ filius Wilhelmi filij Ioannis de Munchen, ex linea Ludouici ducis Bauariæ Imperatoris, ſine liberis mortuus eſt.

*Ludouicus Diues.*

LVDOVICVS dux Bauariæ, cognomento Diues, filius Henrici diuitis, principis in Lanſshuta, duxit vxorem filiam ducis Saxoniæ, quæ peperit ei filium vnum Georgium nomine, qui hodie ducatum patris poſſidet, & filiam Margaretham, mulierem deuotiſſimam, quam Philippus Comes Palatinus Rheni princeps Elector duxit vxorem. De quibus ſuo loco mentio fiet.

### *PALATINORVM RHENI DVCVMQVE BAVARIÆ SERIES generationis conſequenter per ordinem eſt continuanda.*

*Rupertus Anglicus. Vide Æn. Sylu. epiſt. 270.*

RVPERTVS Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ primogenitus Ludouici ducis cum Barba, ex Blanca prima vxore natus, dictus ENGELLANT (quoniam mater Anglica fuit) ſine liberis mortuus eſt, Anno Domini M.CCCCXXVI.

*Ludouicus.*

** Amedei, poſtea Felicis Papæ cōtra Eugeniū electi in Cōcilio Baſil.*

LVDOVICVS Comes Palatinus Rheni dux Bauariæ, princeps Elector, ſecundogenitus Ludouici Barbati, ex ſecunda videlicet vxore Mechtilde natus, duxit vxorem Margaretham filiam ducis * Sabaudiæ, de qua genuit filium vnum nomine Philippum, inſignem paternæ virtutis principem, qui iura parentis clara ſobole decoratus hodie poſſidet. Fuit autem Ludouicus iſte pater Philippi vir bonus, iuſtus, pius, manſuetus, & ad Deum in omni feruore ſpiritus valde deuotus, quemadmodum vita & conuerſatio eius partim deſcripta, & eorum relatio teſtatur, qui eum prope nouerunt.

*Annus 18. legitimus.*

Moriturus vero princeps Chriſtianiſſimus, fratri ſuo Frederico filium ſuum vnigenitum Philippum, annum duntaxat ætatis habentem, vxorem chariſſimam, ac terram omnem commendauit: ita vt cum Philippus annum decimumoctauum attingeret, ei paternum principatum & dominium tanquam legitimo hæredi ſine contradictione reſtitueret. Moritur itaque Ludouicus clementiſſimus princeps, Anno Domini M.CCCCXLIX. in die ſancti Hypoliti martyris, in Eccleſia ſancti Spiritus Heidelbergæ eſt ſepultus.

*Fridericus Bellicoſus. Vide Æn. Sylu. in Europa, c. 40. & epiſt. 301.*
** Clara Dettin.*

FREDERICVS Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, tertius Ludouici cum Barba filius, frater Ludouici ſupradicti principis, non habuit vxorem, nec hæredes legitimos reliquit. Filios tamen duos genuit ex quadam Clara *, quorum primus Fredericus in Eccleſia Spirenſi Canonicus fuit, ſecundus Ludouicus comes in Levvenſtein factus, adhuc hodie viuit. Sunt qui dicant, eum cum præfata muliere matrimonium in facie Eccleſiæ clandeſtine contraxiſſe. Et quia geſta & bella huius Frederici nota ſunt omnibus, ſilentio tranſibo.

*Rupertus.*

RVPERTVS Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, quartus ſupradicti Ludouici filius,

filius,& frater Ludouici ac Frederici, quæ ſit paſſus ac quomodo,& quibus inſidiantibus captus fuerit,cū etiam ipſum (vt ita dixerim) in plateis pueri nouerint,hac vice nō opus eſt literis explicare.

*Nunc comitatum Palatinorum Rheni ducumq; Bauariæ,à Rudolffo quidem deſcendentium,ſed in aliam lineam diuiſorum ſeriem,poſt Rupertum Regem & Steffanum filium,cum Ioanne & Ottone Moſsbach proſequamur.*

*Chriſtofo-rus.*

Chriſtophorus Comes Palatinus Rheni,ac dux Bauariæ, filius Ioannis filij Ruperti regis Romanorum,poſt mortem Erecke regis Daciæ, Noruegiæ & Suediæ filiam Ioannis Marchionis Brandenburgenſis,duxit vxorem:quam cum tribus annis habuiſſet,ſine liberis mortuus eſt,in Helmenſsberg ſepultus.

*Fridericus.*

FREDERICVS Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ,fili⁹ Steffani de Zvveybruck, filij Ruperti regis Romanorū duxit vxorem Margarethā filiam ducis Geldriæ,quæ peperit ei Ioannem paternæ poſſeſſionis hæredem,Steffanū Decanum Eccleſię Colonienſis,Fredericum Canonicū & Cantorē Eccleſiæ Moguntinenſis, Rupertum Epiſcopū Ratiſponenſem,& Wilhelmum Canonicum Treuerenſem,qui iuuenis mortuus eſt in Treueris. Moritur autem Fredericus iſte princeps, iuſtus,& pius, Anno Domini M. CCCCLXXX. in choro monaſterij regularium Rauengirſsburg ſepultus.

*Ludouicus.*

LVDOVICVS Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ,fili⁹ Steffani de Zvveybruckē, filij Ruperti regis Romanorū, duxit vxorē,quæ peperit ei Caſparum, Alexandrum & Ioannem.Bella quę inter eū & Fredericū Comitem Palatinū Rheni principē,noſtri Philippi tutorē,facta ſunt,& quanta ex his paſſus ſit damna,nota ſunt omnibus in circuitu.

RVPERTVS Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, filius Steffani, filij Ruperti regis Romanorum,Epiſcopus in Eccleſia Argentinenſi fuit.

STEFFANVS Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, filius Steffani filij Ruperti Regis,& frater ſupradictorum principum,Canonicus in Ęccleſia Colonienſi fuit.

*Iohannes Epiſcopus.*

IOANNES Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, filius Steffani, filij Ruperti regis Romanorū,vir doctus & morū honeſtate clariſſimus, primo fuit Monaſterienſis Epiſcopus,ac poſtea Medenburgenſis Archiepiſcopus. De quo mihi multa laudum præconia ſe ingerunt,quæ modo non ſunt ſtyli officio commendanda.Anno Domini M.CCCCLXXV. non ſine ſuſpitione veneni mortuus.

OTTO Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, filius Ottonis de Moſsbach,filij Regis Ruperti,non habuit vxorem Vir ingenioſus,qui omnes ſcientias, maxime Mathematicas,earumque præceptores colit,& obſeruat. Viuit adhuc.

ALBERTVS Comes Palatinus & dux Bauariæ, filius Ottonis Moſsbach ſenioris,vltimi filij Ruperti regis,& frater Ottonis ſupradicti iunioris,Epiſcopus eſt Argentinenſis.

*Vide Wimpheling.cap. 50.*

Rupertus Comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, filius Ottonis ſenioris de Moſsbach,& frater Ottonis iunioris & Alberti,Epiſcopus fuit Ratiſponenſis Eccleſiæ in Bauaria.Horum trium principum frater Iohannes etiam fuit Canonicus.

*Hactenus Trithemius.Cui de Philippo iſto Friderici filio adoptiuo (ad quem hoc opuſculum Trithemius ſcripſit,multaſq; Epiſtolas) paucula tantum hæc ex Irenico attexemus.*

*Philippus Elect.Pal.*

FRIDERICO ſucceſſit Philippus,quem pietate,magnanimitate,clemētia, ac omnibus virtutis numeris,tot mortalibus præſtitiſſe Rudolphus Agricola,ac Hieronymus Aleander,& Iacobus Wimphelingius grauiſſimi viri teſtantur. Fuit ille tum membrorum firmitate,tum coniugij dotibus,tum corporis habitudine ſpecioſiſſimus: fuiſſet & feliciſſimus,ſi Germanica bella minus contra eum infremuiſſent.Octo illi ſuperfuerant filij,ſpes tanta nepotū.Moriens Ludouico ſeniori tradidit Palatinatū. Ruperti defuncti filijs Bauariam,quibus præfecit Fridericū Ducem abſolutiſſimum. Alij tres præſules agunt: cæteri duo maximi præpoſiti.Inter nymphas Elizabeth natu maxima (vt ait Aleander) Philippo Marchioni Badenſi,Amelia Pomeraniæ Duci,Helena Megelburgenſi, tres Heroides totidem Heroibus,maximiſque in Germania Principibus matrimonio ſunt collocatæ. Catharina vero tali nomine digniſſima,Diuæ ſibi cognominis exemplum imitata,ſpretis ca-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ducatum rerum illecebris, ſponſum ſibi Chriſtum quęſiuit. Tanta proſapia Palatinorum! tot Epiſcopi! vbi quis tantum recenſendis nominibus defatigaretur: tot ex illa progenie Bohemiæ, Daniæ, Vngariæ, ac Romanorum Reges prodierunt, vt ſi opinione maiorum niti oporteat, non ſit Germaniæ progenies, cui plus debeat nobilitas.

*Hæc Irenicus lib. 3. Exegeſ. German. cap. 50.*

CATALO-